




TAYLOR INSTITUTION
DOMI NUS ILLU
MINA TIO MEA





LES ŒUVRES

DE

M. COFFIN,

TOME SECOND.

LES ŒUVRES
DE
M. COFFIN,
ANCIEN RECTEUR
DE L'UNIVERSITÉ,
ET
PRINCIPAL
Du College de Dormans-Beauvais.

TOME SECOND.




A PARIS,

Chez { DESAINT & SAILLANT, rue S. Jean de Beauvais. THOMAS HERISSANT, rue S. Jacques.

M. DCCLV.

Avec Approbation & Privilege du Roi.





SUPPLICATIONES AUTUMNALES,

Ad Ædem S. Eustachii ann. 1720.



TSI, auctore Christo, oportet semper orare, & non deficere, sapientes Decani, Procuratores ornatissimi, Proceres Academici; fatendum est tamen, identidem ejusmodi incidere tempora, quibus divinam opem ardentiùs implorare, vel si non suaderet pietas, ipsa prementium malorum vis ac necessitas cogeret. Ea quidem est hujus mortalis vitæ conditio, ut nunquam prorsus vacare possit ab incommodis. *Homo natus de muliere*, inquit-

bat hominum patientissimus, *brevi vivens tempore repletur multis miseriis*; sed tamen aliæ miseriæ aliis graviores sunt, & cœlestem iram præsentiùs quodammodo certiúsque denuntiant.

Ecquis autem ita hebes ac stupidus est, qui hisce temporibus aggravatam in nos Omnipotentis manum non agnoscat? Non loquor de horrendis grandinibus ac procellis quæ passim regiones non paucas ita vastaverunt, ut miseris agricolis unius horæ spatio totius anni labor perierit. Hanc privatam quorumdam hominum jacturam abundè compensavit reliqua frugum ac fructuum ubertas, qualem rarò aliàs tellus effudit. Omitto inauditam hactenus rerum omnium caritatem, qua factum est, ut qui reditus alendæ familiæ antea sufficiebat, nunc uni aut alteri animæ sustentandæ penè sit angustior. Non commemoro eversas tot civium fortunas, quorum opes & justissimè partæ, & optimè fundatæ

ac constitutæ videbantur. Sunt hæc professò non obscura sævientis in nos Dei argumenta. Sed quoniam plerique homines stulti & tardi corde ad credendum, eventus omnes sensuum testimonio ponderant, adeòque mala sua hominibus ascribunt, ipsum supremum Auctorem non attendunt, de quo tamen affirmant Scripturæ non esse malum super terram quod non fecerit Dominus; ecce aliud flagellum toti Regno è meridianis finibus ostentat, quod & puniendis hominibus destinari, & ab ipso Deo, nulla prævia naturali causa, ubi vult, immitti celebris illa Davidis historia testatur, cujus arbitrio pœnæ genus quod mallet, à Deo relictum fuerat, id est ab eo cui vel surda elementa parent, qui uno voluntatis suæ nutu bellum, famem, pestem vocat, & dicunt ei, Adsumus.

Intelligitis, Proceres Academici, quid loquar. Scitis aliquot jam ab hinc mensibus incubuisse Massyliis


tetram luem, quæ paucorum dierum intervallo facta languidior, dicitur ſæviùs de integro recruduiſſe. Illâ ſemel afflati miſeri cives, nullam in arte humana opem reperiunt. Serpit è domo in domum, à viro in uxorem, à parentibus in filios, funeſta contagio; mortui ægros, ægri validos intolerando corporum odore conficiunt. Alii neglecti deſertìque dulces miſerabiliter exhalant animas; alii, quod credi vix poſſit niſi intelligeretur quò plerumque mortalia corda auri ſacra fames impellat, alii, inquam, aliquid ipſa peſte triſtius experiebantur, ab nefandis hominibus vel monſtris potius, dum opem miſeris ferre ſe ſimulant, oppreſſi ac ſuffocati. Jacent paſſim ſepeliendi vel tædio, vel periculo, cadaverum acervi in conſpectu ſimile fatum expectantium, adeóque mortes ipſo mortis metu multiplicantur. Quid multa? evagata jam per viginti propè capitum millia morbi vis populoſam nuper & flo-

rentissimam urbem ita vastavit, ut jam non civitas, sed ingens quidam tumulus dici possit. Ecquis noster sensus esset, quæ consternatio, quis pavor, si tepentem tot cædibus gladium in nos ultor Angelus converteret? Quàm spernenda, quàm propè nihil quæ nunc patimur mala, viderentur, tantæ calamitati comparata! Illam hactenus à nobis singulari misericordiâ amovit Omnipotens, quamvis tot nostris criminibus provocatus. Nam quid dissimulo, Proceres Academici? An non videmus fœdissima quæque vitia latiùs in dies grassari? Quotusquisque est qui jam veritatem, probitatem, fidem pensi habeat; qui non sua commoda pudori ac religioni præferat; quem non abominandi lucri contagio infecerit? Ecquando immanior sese jactavit luxus, tetrior exultavit avaritia, effrænatior libido triumphavit? Hæc sunt lacrymis sanguineis deflenda mala, hæc quibuslibet flagellis graviora, hæc pu-

blicis precibus, sacrifi[illegible]
mum ratione expianda. Reliqua quæ tantopere deploramus, multo leviora sunt, imo ne in malis quidem, si fides consulatur, haberi debent; sed salutaria parentis optimi & misericorditer castigantis monita. Agite ergo, Proceres Academici, & animo Parisiensis Universitas ad solemnes Parisiensis Ecclesiæ preces, supplicationum nostrarum non poenitenda subsidia adjungamus, & torrenti tot criminum, omnia, ni succurrat Deus, vastaturo, collectam ex multis orationibus molem opponamus. Petamus enixè ab eo cujus in manu sortes Regnorum versantur, ut hocce Christianissimum Imperium protegat ac tueatur; ut agitatam tot procellis Ecclesiæ navem regat ipse & ad optatum solidæ pacis portum perducat; ut tenerum, Regem in cujus anima Galliæ salus & tranquillitas vertitur, magis magisque præveniat in benedictionibus dulcedinis; ut imponat

ſuper caput ejus coronam de lapide pretioſo; coronam dico, ex felici regiarum dotum confuſione ac conſpiratione conflatam, imprimis verò Chriſtianarum virtutum inſignibus veluti toris eminentem. Id ſpondent, quos oſtendit, non jam fragiles floſculi, ſed certi ac propè formati fructus, acre ingenium, rectus animus, avida & capax doctrinæ mens, propenſa ad benefaciendum voluntas, religionis amor, veræ pietatis guſtus; quæ pretioſiſſima ſemina ſperamus diligenti magiſtrorum cultu ac præſertim fœcundo gratiæ cœleſtis imbre eò paulatim perducenda, ut bonam publicæ felicitatis frugem maturis viribus aliquando ferre poſſint. Pro his omnibus impetrandis piaculare ſacrum nomine noſtro offeret paſtor vigilantiſſimus, qui infiniti propè gregis difficillimum regimen ita temperat, ut potentes officioſa comitate alliciat, inopes ordinata caritate ſublevet, diffidentes conciliatrice animorum dexteritate

componat, laborantes ſecum in Evangelio miniſtros parentis inſtar amet ac foveat, carus ſit omnibus, omnia velut in una quadam familia æquabili & diſtincto ordine diſpenſet ac moderetur. Pluribus dicendis ſuperſedeo, ne ad longitudinem itineris odioſior accedat orationis longitudo. Igitur peto à vobis, &c.



COMITIA RECTORIA

Die 16 Octobris, ann. 1720.

QUOD usu venire solet iis qui ex longa & difficili navigatione littus aspiciunt, & jam ex alto in portum invehuntur, Procuratores ornatissimi, lectissimi Quatuorviri, Proceres Academici, id de me fasces Rectorios hodie deposituro sine cujusquam offensione videor posse profiteri. Est quidem hæc dignitas qua me toto biennio ornatum esse voluistis, & ampla per se, & judicio vestro magnifica. Dulce est non ambitione aut ullis malis artibus, sed hominum oculatissimorum consensu ac benevolentia in eum ascendisse locum qui apud vos esse solet merces quædam industriæ atque virtutis. Pulchrum est præesse ei Academiæ quam principem ipsam ac parentem aliæ omnes

agnoſcunt & venerantur; accenſeri ſplendido excellentium virorum gregi, qui variis temporibus hoc adepti ſunt munus, & eodem inſtructum titulo, iiſdem decoratum inſignibus, in partem quandam eorum laudis gloriæque vocari; hoc inquam, præclarum eſt & cuivis cordato citra ullam inanis gloriolæ vanitatem perjucundum. Verùm, ut dicam quod ſentio, habet eadem dignitas non parum ſollicitudinis ac laboris. Ad id præparet ſeſe quiſquis Academico regimini præficitur, memor uni ſibi omnium commodis invigilandum eſſe, ab uno ſalutis omnium repoſcendam eſſe rationem. *Rectorem te poſuerunt*, inquit Sapiens, *noli extolli, ſed curam illorum habe*. Ita profectò ſe res habet: neceſſe eſt intento ſemper & erecto animo eſſe, videre ne quid detrimenti reſpublica capiat, ne qua privatis injuria fiat, ne qua antiqui decoris retinendi, ne qua novi ſplendoris colligendi prætermittatur occaſio;

necesse est res diversissimas complecti animo & suo quamque loco persequi, nihil aggredi per temeritatem, nihil per formidinem aut infirmitatem animi omittere; postremò, quod aiebat sanctus Bernardus Eugenio Pontifici, ita præesse ut prosis, ut provideas, ut consulas, ut procures, ut serves. Hæ sunt boni Rectoris partes, quas absit ut implevisse me confidam; facilius enim est quæ agenda sunt, videre, quàm ad ea perficienda satis ingenii, consilii, virium, dexteritatis afferre. Illud affirmare audeo, fecisse me quod potui, ut ne ingratam vobis magistratûs mei memoriam relinquerem. Reliquum est ut, quoad fando possum, immortales vobis gratias agam, quum propter tantum & tam diu prorogatum munus, tum propter singularem quo munus ipsum superastis, favorem ac benevolentiam, adhorterque vos, ac præsertim lectissimos Quatuorviros, ut pro sua in parentem Academiam fide, summa

cura provideant ac præcaveant, quem ad gubernacula his temporibus sedere velint, & in ferendis suffragiis sibi sic quisque dicat: Parem gravissimis gerendis rebus, promovendis studiis, instaurandæ disciplinæ Rectorem nomina. Nonnulla quidem absolvimus, alia quædam inchoavimus; at plura supersunt suscipienda sine quibus verendum esset ne hæc ipsa quæ lætissima nobis acciderant, in perniciem præclaræ Artium Facultatis verterent. Id ne accidat, totum in Gymnasiarcharum cura & Professorum assiduitate ac labore positum est: neque verò satis est ut discipulos suos in Scholarum umbra diligenter instituant, sed erumpant oportet in publicam lucem industriæ nostræ fructus, dum alii identidem carmina exarabunt, alii orationes dicent, alii etiam in adornandis antiquorum auctorum editionibus elaborabunt. Scitis ab Illustrissimo Cancellario, amantissimo litterarum nostra-

rum, concessum esse Universitati Privilegium quo ipsi permittitur scriptores tum græcos tum latinos nomine suo recentibus typis mandandos curare. Significavit mihi princeps Magistratus sibi pergratum fore, litteris perutile, Universitati perhonorificum, si Professores nostri alius alium auctorem recognoscendum, emendandum, notis illustrandum assumeret; quod jam nonnulli summo studio, summa alacritate susceperunt. Laboramus certè magna ejusmodi librorum penuria. Equidem, si quid mihi ab cæteris negotiis otii datur id libenter in tam utili opere collocabo, &, qua potero, gratiam optimæ parenti Academiæ rependam.



SUPPLICATIONES VERNÆ

Ad Ædem Collegii Sorbona-Plessai, die martis 18 Martii ann. Domini 1721.

PAUCA admodum hodiernæ supplicationi præmittemus, sapientes Decani, Procuratores ornatissimi, Proceres Academici, ne longior, hoc præsertim tempore, consistendi mora, & ipsum fortasse auditæ sæpius ac jam obsoletæ vocis tædium, segniorem animum ac languidiorem destinatis precibus tradant.

Cogitetis ipsi velim quot & quàm gravia vobis hoc rerum statu divinæ opis implorandæ momenta suppetant. Hinc offert se afflicta multiplici plagarum genere Gallia; illinc improborum fœdata moribus & intestinis laniata dissidiis Ecclesia, cujus is demum verè filius est, qui

parentis optimæ bonis malisque perinde afficitur ac suis. *Oblivioni detur dextera mea*, inquiebat Propheta, *si oblitus fuero tui, Jerusalem: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui; si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ.*

Ex quo autem fonte, nisi ex nostris criminibus derivantur illæ, quibus utrobique conflictamur, calamitates? *Non est populus sapiens*, inquit Isaïas; *propterea non miserebitur ejus, qui fecit eum. Locutus est* * *Dominus super nos omnia mala hæc, & non sumus deprecati faciem Dei nostri, ut reverteremur unusquisque nostrûm à viis nostris pessimis. Vigilavit Dominus in malis, & adduxit ea super nos, quia justus est Dominus in omnibus operibus suis, quæ mandavit nobis, & non audivimus vocem ipsius ut iremus in præceptis Domini; quæ dedit ante faciem nostram.*

* Baruch. c. 2.

Decet igitur nos his vocibus; vel hoc potiùs tonitru excitatos, cœlestem iram, qua fas est, avertere; adeóque & quiescere ipsos perversè agere, & commissos nobis adolescentes, unde aiebat Gersonius noster, *reparationem morum Christianorum inchoandam esse*, acriori quàm unquam studio ad sincerum Dei cultum & ad omnes veræ pietatis partes informare. *Viam disciplinæ ignoraverunt*, inquit Baruch, *neque intellexerunt semitas ejus, neque filii eorum susceperunt eam.*

Nimirùm ut tota futuræ messis spes includitur in semine, sic in recta juvenum institutione, non ipsorum modo salus, sed Ecclesiæ patriæque felicitas ac gloria vertitur. Hinc Tullius, nullum, inquit, afferre reipublicæ munus majus aut melius possumus, quàm ut erudiamus juventutem, his præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrænanda atque coercenda sit. *Quæ*

in juventute tua non congregasti, inquit Sapiens, *quomodo in senectute invenies*? Et verò quandiu caput ipsum fontis infectum limo fuerit, nequidquam lutulentum alvei liquorem repurgare tentaveris. In illud præstantissimum opus jam inde à prima origine Universitas Parisiensis non feliciter minùs quàm constanter incubuit. Ex hoc tanquam seminario innumerabiles singulis ætatibus plantæ prodierunt, quæ aliæ aliò translatæ, at prioris memores cultûs, & materni succi retinentes, uberrimas in foro, in Ecclesia, in aliis conditionibus virtutum omnium fruges ediderunt.

Verùm hanc laudem sibi inter paucas vindicat illa Domus, in quam hodie solemniter sumus processuri, quâ nulla jamdiu inter Academicas aut Professorum fama & industria clarior; aut discipulorum numero frequentior, aut studiorum æmulatione ferventior, aut disciplinæ sanctitate adstrictior fuit. Viget-

adhuc perjucunda nobis omnibus clarissimi Gobinetii memoria, qui ad instituendos juvenes natura ipsa factus, amore quodam operis instinctus, perlongo usu edoctus, ita quamdiu vixit in illo perlaborioso munere contritus est, ut id ne mortuus quidem deseruerit. Quamdiu stabunt literæ, illo morum ac vitæ magistro uti poterunt remotissimæ posteritatis adolescentes.

Excepit in ea provincia Gobinetios, & novum florentissimæ palestræ decus addidit vir non in hac urbe solùm, sed tota Gallia, vel ipso nomine celebratissimus, cujus ex ore, ex congressu, ex sermone, ex omni consuetudine mirus quidam spirat odor pietatis, & conciliatrix animorum mansuetudo; in quo certat cum austeritate vitæ morum suavitas, cum abstinentia pecuniæ liberalitas, cum meritorum splendore modestia; qui, ut Gregorii magni verbis utar, non *praeesse lætus, sed prodesse, ideo sibi ab ipso Christo*

tredi pueros arbitratur, quos doctrina veritatis instituat; bonis moribus exornet, pia solicitudine custodiat, à malo declinare perfectè doceat, quibus demum non minus vitâ quàm vocibus insonet, imò plus etiam agendo quàm loquendo quò gradiantur ostendat.

Neque unius quamvis amplissimi Collegii limitibus sanctissimi viri curæ definiuntur. Eum quoque parentem agnoscit & experitur alia quædam haud paulò numerosior familia, qua viget jamdiu junctus acri doctrinæ studio eximius paupertatis amor & sinceræ pietatis gustus; ex inqua incredibile dictu est quot præstantes viri ab annis plus quinquaginta in Ecclesiæ commodum, in hujus etiam Academicæ decus pullularint; in qua denique excellenti velut officina, Sanctuario quotidie non inanima, non ad externos usus destinata, sed viva, & Christi nomen coram hominibus portatura vasa præparantur.

At vereor ne studio indulgens meo, & ipsâ memorem animum palam testandi dulcedine abreptus, quos ipse mihi præscripseram fines transgrediar. Eò revertor unde primùm oratio nostra profecta est, ut fervidis precibus, ut alto compuncti cordis gemitu, ut docendæ & ad Christum ducendæ juventutis diligentia, ut omni demum ratione ac via divinam in nos misericordiam conemur elicere. Certam propè votorum fiduciam affert opportunior quàm quævis alia placando numini tempestas: eamdem fiduciam augent ipsius Christi verba in hodierna Evangelii lectione denunciantis; *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est*; quantò magis, si eo, quo decet, ardore ac fide, universi ad expugnandam Dei justitiam, veluti facta manu, conspiraverimus? Interim postulo à vobis, &c.

SUPPLICATIONES VERNÆ,

Ad Ædem Deo sacram sub invocatione S. Bernardi, die 17 Junii, ann. Domini 1721.

NEMO vestrûm est, opinor, sapientissimi Decani, Procuratores ornatissimi, Proceres Academici, qui postquàm renuntiatum fuit convenire ex diversis Europæ partibus novò Pontifici creando sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, non intellexerit rem agi longè gravissimam omnium; nemo qui non in tantæ deliberationis eventum solicita expectatione fuerit erectus; nemo qui non intereà pias ad Deum preces fuderit, ut Cardinalium voluntates ac studia quò maximè expediebat inclinaret, vel potiùs quem elegisset ipse ostenderet. Id profectò à cunctis

Fidelibus Ecclesiæ Caritas, quæ alias omnes caritates superare debet, reposcebat: id vos præcipuè præstitistis, qui neque cuiquam amore in optimam parentem ceditis, & acutiùs, quàm vulgus hominum, quid illius tempora postularent, videbatis.

Vota nostra, celeriùs etiam quàm sperabatur, exaudivit Omnipotens. Pontificem habemus quem tacitè inter paucos boni omnes exoptabant; de quo una omnium vox est, non alium fuisse tanto fastigio digniorem; virum, ut stirpe, ita indole generosissimum; ea integritate vitæ quæ nihil detrahat de suavitate morum; ea comitate sermonis & alloquii, quæ nihil de auctoritate decerpat; virum præstantis ingenii, excelsæ mentis, animi mitis ac moderati; literatum ipsum & literatorum fautorem; veteris disciplinæ doctrinæque gnarum juxta & studiosum; alienum ab omni studio partium; ante omnia Ecclesiasticæ pacis peramantem, adeoque nihil

habentem, quemadmodum in dignitate sua majus quàm ut possit; sic in natura sua melius quàm ut velit reipublicæ Christianæ vulneribus mederi.

Equidem libenter adducor, ut sperem illum divinitus reservatum fuisse, qui solo religionis amore ductus, nec minùs paternæ caritatis, quam Pontificiæ potestatis memor, omnia dissensionum semina opprimat, fibras omnes evellat, plus hoc uno opere veræ solidæque laudis adepturus, quàm si Romanæ Curiæ opes ac jura in immensum exaggerasset.

Id porrò spondet, cùm omnis præteritæ vitæ ratio, tum singularis in eo eligendo, nec sine divino numine suffragiorum consensus; tum delecti ab ipso nuper coadjutores & administri, quos vel gubernatores Petri navicula non respuisset; tum denique faustissimum omen Innocentii tertii ex eadem olim gente Pontificis, cujus ideo

nomen affectavit hic noster, ut ejusdem imitandi sibi ac repræsentandi gloriosam legem imponeret.

Æquum igitur est nos primùm dignas supremo Numini pro concesso Ecclesiæ suæ beneficio gratias agere; deinde ab eodem, *qui luminum pater est, & donorum optimorum auctor*, flagitare, ut quoniam nullum virtuti præsentius venenum est, quàm opes, quàm gloria, quàm potestas, novum Pontificem adversùs tot pericula, contra quæ nunquam satis cauta mortalitas erit, efficaciter præmuniat; ut sua ipse dona augeat atque confirmet; ut non patiatur eum eximiæ dignitatis fulgore perstringi potiùs, quàm onere terreri; ut eum impleat in dies magis spiritu sapientiæ & intellectûs, spiritu consilii & fortitudinis, quo se ipsum cunctis Fidelibus exhibeat, ut aiebat Eugenio tertio sanctus Bernardus, *formam justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, fidei defensorem, miserorum spem,*

malorum

malorum metum, bonorum gloriam, sal terræ, orbis lumen, vicarius Christi.

Hæc nobiſcum ſummo Pontifici ille ipſe precabitur qui hæc ei præſtanda tantò antè deſcripſit : neque verò minimum id nobis momentum fuit ad eligendam eam Ædem quæ ſancti Bernardi nomine ac patrocinio gloriatur. Eoquem enim in præſenti negotio majore apud Deum valere gratia cenſetis, quàm eum qui de Romanis Pontificibus, quamdiu vixit, tam inſigniter meritus eſt, tamque conſtanter ; quorum alios ipſe propè in Petri Cathedram evexit ; alios in eamdem, per vim deturbatos, reſtituit ; alios nutantes confirmavit ; omnes opera, conſilio, ſcriptis, monitis adjuvit ; quem Eccleſia turbulentiſſimis temporibus unitatis ſuæ vindicem, veritatis columen, ſanctitatis aſſertorem ſenſit ; quem eadem domitorem hæreſeon, ſchiſmatum profligatorem, omnium à quibus op-

pugnata tunc fuit; hostium triumphatorem experta est.

Atque hîc, Proceres Academici, multiplices divinæ Providentiæ vias, recondita consilia, infinitamque vim mirari juvat, quæ eo tempore, cum omnia ruere sic videbantur ad perniciem, ut sisti nullatenus viderentur posse, tum maximè omnia in lubrico ac præcipiti, præter hominum expectationem, erexit ac sustinuit.

Mœrebat tunc miserabiliter deformata Ecclesiæ facies, & seu ignorantia, seu vitiorum omnium turpissima contagione laborabat. Non sanctitas aris, non Clero disciplina, non populis pietas, non monasteriis ordo, non divino cultui dignitas constabat. Ad hæc accedebat Beneficiariorum, ut vocant, immensus luxus, quo nulla teterior excogitari pestis potest. *Serpebat*, ut ait ipse, *putida tabes per totum corpus Ecclesiæ, & quò latiùs, eò desperatiùs, eóque periculosiùs, quò interiùs.*

Ecce autem educitur ex abscondito tabernaculi, ex umbra solitudinis, ex recessu nemorum, qui, ut alter Nehemias, *erigat muros eversos*; qui, ut Jeremias alter, *evellat & destruat, & dissipet, & ædificet & plantet*; quem Deus, ut alterum Moysem *in conspectu regum glorificat*; *cui dat in præceptis suis potestatem docere Jacob testimonia sua, & in lege sua lucem dare Israel*; *qui quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet*; qui verè *tanquam prodigium factus est multis*, sapientia & auctoritate Legislator, arcanorum cognitione Propheta, morum innocentia & vitæ austeritate Baptistes, facultate miraculorum Apostolus, zelo & scientia Doctor, caritate & animi fortitudine Episcopus, uno verbo universa mens quædam in Pontifices, in Præsules, in Principes, in totum Ecclesiæ ac regni diffusa corpus, & negotiis extricandis, repurgandis moribus,

zizaniis extirpandis, instaurandæ disciplinæ semper intenta. Hinc renovatus passim pietatis gustus, redintegratus in hominum animis divinorum judiciorum timor, restitutæ, quæ penitùs obsoleverant, pœnitentiæ leges; hinc erecta diversis locis monasteria, quò principes, quò duces, quò tribuni, quò milites, quò omnis generis multitudo, alii tanquam in salutarem piscinam, alii velut in tutissimum innocentiæ azylum, Bernardi exemplo ac voce inflammati confugiebant.

Agite, Proceres Academici; concordibus votis exposcamus ut in Bernardi familia, quæ diversis temporibus tot insignes doctrina ac pietate viros protulit, illos sanctissimi Parentis sensus, illum animum, illam mentem quotidie magis excitet atque instauret. Bernardum ipsum, eâ quâ decet fiduciâ, precemur, ut Galliæ nostræ ac suæ, quippe in qua natus educatusque

est, quæ tot ejus virtutum, laborum, miraculorum illustre quoddam theatrum fuit, ut Galliæ, inquam, suæ apud Deum potenter patrocinari velit; præcipuè verò, ut Gallicanam Ecclesiam, quam ille, dum viveret, sudoribus irrigavit, ornavit exemplis, doctrina illustravit, consiliis, curis, scriptis, omni opera, ipsius sæpe carissimæ solitudinis dispendio defendit, ac propugnavit, nunc quoque tueri ac fovere pergat; ut qui toties seu politicæ, seu Ecclesiasticæ pacis sequester ac mediator fuit, tot motus composuit, tot dissidia sedavit, pacem nobis sinceram & æternùm duraturam conciliet; ut Regi Christianissimo, totique huic regno, quod illi nunc quoque curæ esse confidimus, incolumitatem, quietem, sanctitatem exoret. Hæc vota in eam Domum deferemus, quæ tota Academica est, & Academicarum antiquissima; quæ ab annis fere triginta ab eo viro regitur, quem ingenium, pro-

bitus, fides, quem singularis urbanitas amabilem omnibus ac venerandum efficiunt. Accendet pietatem vestram, cum clarissimi viri, & Cisterciensium alumnorum præsentia, tum ipsius, in qua versabimur, nobilissimæ Ædis conspectus, quæ simplici majestate, & religioso quodam horrore ac silentio, quippe inter annosas arbores ab importuno urbis tumultu hominumque commeatu seclusa, nescio quem ingredientibus afflat odorem pietatis, & ad orandum ultro invitat.

COMITIA RECTORIA

Die 24 Junii, ann. Domini 1721.

NIHIL hodie vobis, quod quidem sciam, gravioris momenti tractandum incumbit, Procuratores ornatissimi, lectissimi Quatuorviri, Proceres Academici; neque nos longa oratione Comitia vestra protrahemus. Liceat nobis tantùm debitam artium Professoribus laudem rependere, &, qua ratione possum, suum illis laborem gratulari, cujus maximè sub anni finem, qui studiorum Academicorum quasi quidam autumnus est, fructus sese exerunt, & justam adepti maturitatem colliguntur atque gustantur. Equidem summa voluptate afficior, cùm ad me quotidie ex omnibus palæstris varia convolare video publicarum exercitationum program-

mata, quibus ſtudioſi adoleſcentes ac pueri ſignificant ſe de hiſtoria, de fabula, de latinis, de græcis Auctoribus pro ſuæ quiſque ſcholæ conditione reſponſuros. Hæc ſanè conſuetudo quæ nobili quodam æmulandi certamine omnia jam Collegia invaſit, ea eſt quæ & Profeſſoribus plurimùm laudis & Univerſitati gloriæ non parum; & ſummam diſcipulis utilitatem importet; ita namque à prima ſtatim ætate pectus onerant multiplici copia rerum optimarum ad excolendum ingenium moreſque informandos, idonea, & aſſueſcunt non reformidare vultus hominum, ſed ſtudia ſua, quo nihil utilius eſt, ex ſcholarum umbra ac ſitu in aſpectum lucemque proferre. Nihil dicam de Theſibus Philoſophicis quæ, excuſſa tandem inutilium quæſtionum farragine, non jam inani quadam loquacitate juvenum modò linguam exercent ac procudunt, ſed animos alunt ſolido veritatis pabulo, & ju-

dicandi vim limant ac perficiunt; quæ denique non minus eruditè ab adolescentibus quàm acriter propugnantur, præsertim cùm ex antiquo & constanti Academiæ more clarissimi philosophiæ Professores adsunt, quorum plena doctrinæ, plena animorum disputatio, & audientium mentes suavissimè erigit, & respondentium acuit industriam, & aliorum æmulationem accendit, & ipsius Universitatis famam tuetur ac sustinet: quæ consuetudo, ut retineatur non optare, imò non vehementer adhortari, hominis esset de Academiæ splendore, quo nihil Rectori antiquius esse debet, non satis soliciti.

INSTRUCTIO

D. Gibert Rectoris, die 26 Junii 1721.

SI rudem omnino & inexpertum Rectorem alloquerer, pluribus fortasse verbis cum eo mihi agendum esset, amplissime Domine Rector: nunc te talem virum & jamdiu in hocce regendo navigio exercitatum intuenti pauca verba facienda sunt. Quantas regimen istud splendidum sanè & magnificum habeat difficultates ac molestias, quot & quàm periculosis scopulis ac sæpe procellis sit obnoxium, túte intelligis. Verùm hæc pericula vel tua dexteritate declinabis, vel animi robore ac fortitudine superabis, non inanis captator auræ, sed sapiens strenuusque gubernator.

Interim admoneri te oportet inchoata fuisse Rectoribus nobis ne-

gotia quædam quæ infecta aut imperfecta pendent. Ac primò quidem tentatum à nobis fuit, num iniri ratio aliqua posset, quæ inter Academiam nostram & urbis hujus Bibliopolas, omnem certaminis ansam in perpetuum præcideret, quod negotium arbitror sine gravi ullius partis incommodo componi posse. Deinde mora est super Collegio Cardinalitio Universitatem inter & Eminentissimum Cardinalem de Noailles, Parisiensem Archiepiscopum, lis sane gravissima, quæ Academiæ privilegia, disciplinam, totam denique jurisdictionem spectat. Postremò peroptant boni omnes ut in præclara artium Facultate, occasione gratuitæ institutionis, leges quædam antiquæ renoventur, vel etiam sanciantur novæ, quæ præsentibus vitiis atque incommodis, si quæ sint, medeantur, & futuris, quantum fieri potest, occurrant. Id primarii quique Magistratus, id Illustrissimus Franciæ

Cancellarius, id ipſe Sereniſſimus Regens expectat. Id metuunt, quod non minimum Rectori momentum eſſe debet, perpetui Univerſitatis hoſtes, quippe qui intelligunt, nulla re magis, & gratuitæ inſtitutionis beneficium ſtabiliri, & ipſius Academiæ gloriam propagari poſſe. Nihil quidem ſine moribus leges proficiunt: ſed ubinam hoc præſertim tempore, ſine legibus mores invenias? Neceſſe eſt igitur & bonas condi leges, & earum obſervandarum certam iniri rationem. Tuum eſt pro tuo in Academiam ſtudio opus illud longè utiliſſimum, ſpretis quibuſvis querelis ac conviciis urgere. Decet enim publicum Magiſtratum non privatorum quorumdam ſtudiis favere, ſed unam publicæ rei utilitatem intueri.


DISCOURS
AU ROY,
ET A MONSEIGNEUR
LE DUC D'ORLEANS,

En leur présentant le Cierge le 1. Février 1719.

Et sur l'Etablissement de l'Instruction Gratuite.

Avec les Discours Latins à M. LE GARDE DES SCEAUX, sur le même Sujet.

Et les Mandemens Latins & François de M. LE RECTEUR, pour le Gratis & pour les Congés accordés par SA MAJESTÉ.



AU ROY,

En lui présentant le Cierge, le 1. Février 1719.

SIRE,

L'UNIVERSITÉ de Paris, attentive au progrès de VOTRE MAJESTÉ dans l'étude de la Religion & des Lettres, apprend de jour en jour avec une extrême joie le succès d'une éducation d'où dépend le bonheur de l'Eglise & de l'Etat.

Ce succès, SIRE, n'est pas moins important pour Votre Majesté, qu'il l'est pour tous vos Sujets. Les années de votre Regne seront nombreuses ; si nos vœux sont exaucés ; mais les jours de votre instruction sont comptés. L'Autorité Royale, déposée pour un temps entre les mains du Grand Prince, dont les soins & les lumiéres suppléent au défaut de vos années ; cette Autorité si respéctable & si auguste sera bientôt remise dans les mains de Votre Majesté. Quel interêt n'a-t-elle donc point de se remplir, durant cet espace si court & si rapide, des sentimens & des maximes qui doivent être la regle de sa conduite pendant tout le reste de sa vie ?

Destiné par la Providence à gouverner un grand Peuple ; responsable de tout le bien que peut faire un Roi, & de tout le mal qu'il peut empêcher, quel avantage n'est-

ce pas pour Votre Majesté d'apprendre sûrement la route qui conduit à ce but unique du véritable gouvernement ?

Il ne manque rien à Votre Majesté, SIRE, pour y arriver. La sagesse & l'habileté des conducteurs illustres, qui sont chargés du soin de vos premiéres années, auroient été capables de rectifier un naturel moins heureux. Mais ils avouent, ces guides aussi sinceres qu'éclairés, qu'ils ont trouvé dans l'excellent fonds de Votre Majesté les semences de toutes les vertus qui forment les grands Princes. Les premiéres inclinations de votre enfance ont prévenu leurs leçons les plus essentielles. Ces maximes importantes; Que le premier devoir d'un Roi est d'établir dans lui-même le regne de la Pieté; de faire respecter la Religion dans ses Etats; d'aimer & de chercher avec soin la Verité; de proteger la Vertu; de réprimer le Vice; de rendre ses Sujets heu-

reux, & de s'en faire aimer en les aimant ; ces maximes étoient gravées dans votre cœur, avant qu'elles eussent frappé vos oreilles. On voit même Votre Majesté les mettre tous les jours en pratique dans l'enceinte de ce Palais, d'une maniére proportionnée à votre âge ; mais qui marque bien avec quel éclat vous le ferez, lorsque l'exercice de ces vertus n'aura plus d'autres bornes que celles de votre pouvoir.

Cette piété sincére, qu'on remarque déja dans Votre Majesté ; ce goût comme naturel pour tout ce qui appartient à la Religion ; cette aversion pour la flatterie ; cette bonté, &, si je puis le dire, cette reconnoissance à l'égard de tous ceux qui ont l'honneur de vous approcher, annoncent à votre Peuple ce qu'il a lieu d'attendre de son Roi : de même que le zele empressé de ceux qui vous servent, leur tendresse respectueuse, leur affection, leur attachement moins pour votre rang

que pour votre Personne, sont des gages certains, & comme les prémices du parfait devoument que vous devez attendre de tous vos Sujets.

Mais, vous le savez, SIRE, c'est Dieu qui est l'auteur de tous ces dons & de toutes ces faveurs. C'est lui qui par une protection visible, & selon les desseins adorables de sa providence, a conservé dans votre Personne Sacrée la précieuse étincelle d'une auguste & nombreuse Famille, & qui a porté de si loin, & contre toute apparence, l'Arriere-Petit-Fils, sur le Thrône du Bisayeul; c'est lui enfin, qui vous a prevenu de ses graces & de ses bénédictions : puissent-elles se répandre de jour en jour plus abondamment sur Votre Majesté! Ce sont les vœux sinceres de Votre Université; ce sont les sentimens qu'elle inspire pour VOTRE MAJESTÉ à ce peuple de jeunes Sujets qu'elle forme pour l'Eglise &

pour l'Etat : heureuse dans cet important ministere de pouvoir les porter à l'amour du travail & de la vertu par le puissant exemple d'un Souverain si fidele à tous ses devoirs !



A SON ALTESSE ROYALE MONSEIGNEUR, LE DUC D'ORLEANS, REGENT,

En lui présentant le Cièrge le 1. Février 1719.

MONSEIGNEUR,

L'UNIVERSITÉ de Paris met au rang de ses plus beaux privileges, l'honneur qu'elle a de paroître à certains jours devant le Dépositaire de l'Autorité Royale, pour lui rendre ses respectueux hommages. Mais nous ne craignons point de le dire ; cet honneur, quelque

grand qu'il soit, ne nous touche pas si sensiblement, que le plaisir flateur de parler à un Prince, qui, nourri dans le goût & dans l'usage des Lettres, en connoît par lui-même tout le prix.

Nous nous présentons donc à VOTRE ALTESSE ROYALE, non-seulement avec les sentimens de vénération qui sont dûs à Votre Auguste Personne, & à l'élevation de votre rang; mais avec toute la confiance que doit inspirer un Prince porté d'inclination, & interessé même personnellement à proteger des Arts, dont la gloire est inséparable de la sienne.

Nous nous tinmes assûrés de cette protection, MONSEIGNEUR, dès le moment que les droits de votre naissance & les voeux de tous les François vous eurent chargé de la conduite de ce Royaume, & nous crûmes devoir tout attendre de vous, puisque l'étendue de votre pouvoir commençoit à mettre dans une

pleine liberté les mouvemens de votre cœur. Nous pouvons dire même, MONSEIGNEUR, que votre discernement prévint presque nos vœux & nos demandes. Vous formâtes dès-lors le projet de l'Instruction gratuite dans notre Université, & vous comprîtes par une prompte pénétration toute l'importance d'un établissement, qui seroit également utile au Public, honorable aux Lettres, & glorieux à Votre Auguste Régence.

Nous savons, MONSEIGNEUR, que vous n'avez point perdu de vue ce grand objet : vous en avez donné plus d'une fois des assurances à l'Université ; & nous ne croyons pas que la difficulté des temps doive nous faire perdre l'esperance d'une faveur, qui ne sçauroit être à charge à l'Etat ; qui peut se tirer par les vues supérieures de Votre Altesse Royale du fonds même & de l'ancien patrimoine de

l'Université, & que nous obtiendrions aisément de votre justice, si nous n'aimions mieux la devoir toute entiére à votre bonté.

L'Université, MONSEIGNEUR, fondée depuis plus de neuf siécles dans ce Royaume, a toujours été plus attentive à servir l'Eglise & l'Etat, qu'à s'attirer des graces & des récompenses. Ennemie de toute opinion & de toute liaison étrangere, elle n'a jamais cherché d'autre protection que celle de ses légitimes Souverains. Ses maximes sur la Religion sont aussi anciennes que la Religion même; & toute sa politique consiste dans un attachement sincere aux Loix du Royaume, & dans un respect inviolable pour ceux à qui Dieu en a confié la conduite.

C'est aussi, MONSEIGNEUR, ce qu'elle s'efforce de graver dans le cœur de tous ses disciples. Elle souhaiteroit, & j'ose le dire, il seroit peut-être à souhaiter pour l'Etat,

que le nombre en fût plus grand, & que l'impuissance où elle est, de faire des Leçons gratuites, ne servît pas de prétexte & même de raison véritable à un grand nombre de peres, pour mener leurs enfans à des sources beaucoup moins anciennes, & qui certainement ne seront jamais plus pures.

Les Rois vos ayeux nous ont accordé par estime des distinctions honorables. C'est de leur liberalité que nous tenons ces ornemens & cette pourpre sous laquelle nous paroissons devant vous. Mais il vous étoit reservé d'y ajouter un nouvel éclat plus solide, & de devenir au nom du Roy le second fondateur de l'Université.

Rendez nos Arts, MONSEIGNEUR, véritablement liberaux : affranchissez la Fille-aînée de nos Rois de toute dépendance qui la dégrade; ne lui laissez que celle qui lui fait honneur, & comptez sur le dé-

vouement entier & sur le souvenir éternel d'un Corps, qui fait encore moins profession de science & de litterature, que de la plus parfaite reconnoissance.



AU ROY

Pour le remercier de l'Etablissement de l'Instruction Gratuite dans l'Université de Paris, le 22 May 1719.

SIRE,

C'est avec les sentimens de la plus vive reconnoissance que l'Université de Paris se présente aujourd'hui au pied du thrône de VOTRE MAJESTÉ.

Cette Compagnie, formée d'abord par les soins & dans le palais même de nos Rois, toujours honorée pour cette raison du titre glorieux de leur Fille-aînée, a con-

[illegible]
servé dans tous les temps des sentimens dignes de sa naissance. Mais elle avoit eu jusqu'ici le malheur de n'en pouvoir soutenir la gloire & la liberté ; peu differente de ces anciennes Maisons dont la fortune semble démentir l'origine, & qui se voient presque effacées par un grand nombre de Familles moins nobles & plus opulentes.

Telle étoit, SIRE, la triste situation de la premiere Université du monde, plus dépendante du public que les autres Universités de l'Europe, toutes formées sur son modéle, ou sorties même de son sein, & toutes cependant beaucoup mieux dotées que leur mere.

Ce n'est pas que ses Fondateurs Augustes, en lui accordant des priviléges d'honneur, eussent oublié de pourvoir à sa subsistance ; ou qu'elle eût elle-même dissipé son patrimoine par une mauvaise économie. Mais elle avoit besoin d'une nouvelle protection pour trouver

dans le fonds même que les Rois lui avoient laissé, de quoi se passer de tout secours étranger.

Cette grace, mêlée de justice, paroissoit facile à la Puissance Souveraine: on en connoissoit d'ailleurs toute l'utilité; & les Ministres les plus passionnés pour la gloire de leur Maître & pour le bien public, en avoient plus d'une fois formé le projet. Mais il falloit, SIRE, qu'on en dût l'exécution à Votre Majesté, aidée des conseils d'un Prince intéressé à la gloire de votre regne, & porté par un goût naturel à proteger les Arts & les Sciences, qui peuvent en faire un des principaux ornemens.

Quel heureux présage, SIRE, pour toute la suite de ce regne, auquel nos vœux ne mettent point de bornes! Vous vous montrez déja véritablement le pere de vos jeunes sujets, en leur procurant, ou du moins en leur facilitant l'inestimable avantage de l'instruction,

dans un temps [illegible]
par un [illegible]
son âge, commence [illegible]
l'importance de [illegible]
celle qui vous [illegible]
de succès entre les mains de ces hommes choisis, qui sont chargés du précieux dépôt de vos premieres années, sous la conduite d'un Prince de votre Sang, attaché par le cœur à votre Personne Sacrée, & moins sensible à l'éclat de ce glorieux emploi, digne de son auguste naissance, qu'aux progrès de Votre Majesté, d'où il sait que dépend la félicité publique.

L'Université [illegible] de seconder vos intentions [illegible] royales, en [illegible] auprès de ce peuple [illegible] élevé pour [illegible] Ma[illegible] continuerons de le former [illegible] piété & dans les lettres [illegible] nous appliquerons [illegible] rer de bonne heure [illegible] sentimens de respect, de [illegible]

[illegible] quels doivent
[illegible] qui par
[illegible] s'acquerir
[illegible] ceux qui
[illegible]
de succés entre les [illegible]
[illegible] SIRE
au precieux dépost de [illegible]
[illegible] faites
[illegible] va renaître &
prendre une face nouvelle par les
bienfaits dont vous la comblez dés
[illegible] semblable au soleil
du printemps, dont les rayons fa-
vorables rendent la joie & la beauté
à toute la nature, & qui l'animant
par une chaleur douce, mais fé-
conde, [illegible] la terre, fait
éclore de toutes parts les fleurs les
plus brillantes, & prépare pour
l'automne une abondance de fruits
[illegible] de le fortifier
[illegible] SIRE, goûter
[illegible] long-temps le fruit de
[illegible] dont la durée,
[illegible] de la Monarchie,

gravera en caractères [illegible]
[illegible]
Majesté dans le cœur des [illegible]
[illegible]
quelque sorte votre regne sous les
regnes même de vos successeurs
les plus reculés.

A SON ALTESSE ROYALE MONSEIGNEUR LE DUC D'ORLEANS, REGENT,

Pour le remercier de l'établissement de l'Instruction Gratuite dans l'Université de Paris, le 22 Mai 1719.

MONSEIGNEUR,

Les promesses que Votre Altesse Royale avoit eû la bonté de faire à l'Université, ont été suivies d'un effet si prompt, qu'il a laissé peu d'intervalle entre la demande & le remerciment. La justice que vous avez voulu qu'on

nous rendit [illegible] par [illegible] que grace [illegible] que [illegible], nous sommes contraints d'avouer que [illegible] atteindre à la grandeur du bienfait, ni égaler la mesure de notre recon[illegible]ssance [illegible]

Si les Histoires [illegible] cé[illegible] le plus [illegible] à des Princes, [illegible] su-jets du temps [illegible] l'Histoi-[illegible] des Villes [illegible] de la vie ; [illegible] l'Uni-versité [illegible] la France [illegible], pour un établissement [illegible] à perfection [illegible], & qui subsistera [illegible] mo-narchie [illegible] sous [illegible] du monde.

Tout le Royaume a déja fait éclater sa joie par ses louanges &

ses applaudissemens. Il s'est rendu , [illegible] touche. en- [illegible] d'autant [illegible], que leur [illegible] de qui [illegible] [illegible] la grace.

[illegible] MON-SEIGNEUR , que l'éducation de la jeu-nesse est le premier & le plus so-lide fondement de la gloire & de [illegible] ; [illegible] ; [illegible] le [illegible] il faut [illegible] ; que c'est [illegible] la [illegible] à [illegible] les [illegible] con-[illegible] obligé de [illegible] les particuliers [illegible] si élevées , MONSEIGNEUR , que vous avez formé le dessein de l'Instruc-tion Gratuite dans l'Université de

Paris, & que vous en [illegible] l'exécution avec un [illegible] qui pourroit faire [illegible] avez eu plus de joie en nous accordant cette faveur, que nous en la recevant.

Uniquement renfermés dans nos emplois ; peu instruits dans l'art de réussir par des insinuations & des voies secrettes ; moins propres encore à ces sollicitations vives & à ces assiduités persévérantes, presque toujours nécessaires à la Cour pour percer la foule de ceux qui demandent, & dont les meilleurs Princes sont le plus environnés, nous serions encore privés de vos graces, si elles n'étoient presque venues nous chercher, & s'il eût fallu autre chose pour obtenir de Votre Altesse Royale cet important établissement, que de lui en représenter l'utilité.

Vous avez inspiré les mêmes sentimens aux Ministres de Sa Majesté. Leur zéle pour le bien public

& pour la gloire de leur Maître, a pû à peine répondre à l'activité de vos desirs.

Mais ce qui met le comble à notre joie, MONSEIGNEUR, c'est de savoir que cet évenement est l'effet de l'estime d'un Prince, dont le discernement peut servir aux autres de regle pour juger sûrement du mérite.

Aussi l'Université, MONSEIGNEUR, sent-elle déja augmenter pour elle la confiance du Public, par celle dont Votre Altesse Royale daigne l'honorer : semblable à ces tableaux anciens, dont les traits formés par un savant pinceau, mais obscurcis par le temps & faute de soin, n'attendent que les yeux d'un grand Maître & le secours d'une main habile pour reparoître dans toute leur beauté, & pour effacer le brillant des ouvrages modernes, qui leur avoient été égalés, & peut-être même injustement preferés.

Nous nous efforcerons, MON-

SEIGNEUR, de consacrer ce nouvel éclat que vous nous avez procuré, qu'en redoublant nos soins pour l'instruction de la Jeunesse, & nous esperons prouver à toute la France, que le don accordé à l'Université est véritablement un bienfait public.

Ce seroit peu en effet que nos Fastes en perpetuassent la memoire; que nous le publiassions dans toutes nos Langues, & par cent monumens divers; que dans les Ecoles mêmes les plus reculées on prît soin de dire aux Enfans qui vous devront l'éducation: « Ces leçons que » vous recevez sont les fruits de la » bonté d'un Prince, qui dans des » temps difficiles, chargé de la con- » duite d'un grand Royaume, par- » tagé par mille affaires pénibles & » épineuses, ne jugea pas indigne » de son attention de relever l'hon- » neur de nos Ecoles, & assûra un » fonds considérable pour ennoblir » la profession des Maîtres, & pour

» faciliter l'instruction des Disciples. Notre reconnoissance, & celle de nos successeurs, seroit peu digne de vous, si elle se bornoit à des éloges & à des sentimens stériles. Il faut qu'elle soit agissante & effective. VOTRE ALTESSE ROYALE a eu pour but l'honneur de la France, & l'utilité publique. Nous irons, s'il est possible, aussi loin que vos desirs; & par un assujettissement volontaire, mais exact à de nouvelles loix que nous allons nous prescrire, & que nous vous prierons, pour comble de grace, de vouloir bien autoriser, nous vous donnerons la consolation de jouir du fruit d'une générosité vraiment royale, & d'en recevoir ainsi (permettez-nous de le dire, MONSEIGNEUR) la juste & digne récompense.

A D. F. D. E. S. I. M.

REGIORUM SIGILLORUM

CUSTODEM

Cum ei Cereus offerretur die [illegible], anno Domini 17[illegible].

HODIE primum solemni pompa & frequenti comitatu tuas ædes ingreditur Universitas Parisiensis, FIDELISSIME REGIORUM SIGILLORUM CUSTOS. Verum in hac novi generis salutatione, nihil erit præter antiquos animi de te sui sensus expromet. Dicam enim non ambitiose aut adulatorie, quod laudandi genus os nostrum æque ac tuæ aures abhorrent, sed simpliciter & academice, nihil judicio de te nostro adjecit ista qua [illegible]

ſplendidiſſimi muneris amplitudo. Fuit ille ſemper apud nos conſtans de te ſermo, pleroſque homines ita comparatos eſſe, ut alii aliis rebus magis apti & idonei ſint: tibi promptum ad omnia pariter & habile ingenium ſuppetere; nullam ſeu privatæ, ſeu publicæ rei gerendæ artem tibi deeſſe; te eâdem dexteritate mentis & grandia tractare, & ad minuta deſcendere; nullo negotiorum pondere aut animum tuum vinci poſſe, aut corpus fatigari.

Hoc nimirum tui jamdiu ſplendidum edidiſti ſpecimen in illo perutili & perlaborioſo munere, unde publici ordinis ratio & Pariſinorum civium ſecuritas pendet; cui muneri per tot annos tantâ ſapientiæ, vigilantiæ, fortitudinis laude præfuiſti, ut veluti mens quædam univerſa totam immenſæ hujus urbis molem pervaderes; ut mundum illum veriùs quàm civitatem æquè noſſes ac domum alius ſuam;

ut populi multitudinem infinitam unius instar familiæ regeres; ut illam, non evitabilem magnis urbibus, tot diversi generis hominum colluviem, audacium, levium, factiosorum, improborum, facinorosorum, vel solo nutu, & unâ nominis tui auctoritate contineres. Atque hæc omnia, quibus vix bene plures simul sufficere posse videantur, ita facilè & quasi per ludum transigebas unus, ut assilientibus undecumque negotiis, in tantâ occupatione, animo tamen esses minimè occupato.

Ex illa Reginæ Urbis [illegible] sublimius fastigium evectus, [illegible] perspicacissimæ mentis acie, [illegible] jori etiam, si fieri potest, [illegible] tate gravissima Regni negotia, [illegible] diei vel noctis discrimine, [illegible] ctas, nec aliud tibi videns [illegible] amplissimæ dignitatis excel[illegible] præter laborem & molestiam [illegible] sumpsisse [illegible]

At dum acres in universum Regnum intendis oculos arrectus & vigil, memineris, quæso, nos quoque illius aliquam partem esse; eamque, ut confidimus, non infimam, nec omnino tua benevolentiâ tuisque curis indignam. Quanquam frustra te impellere videor, ut nobis favere velis, cujus propensam in nos voluntatem non obscuris argumentis perspeximus; quem scimus grande aliquid & magnificum causâ nostrâ meditari, ut dotata tandem pro dignitate Parisiensis Universitas Gallicam Juventutem gratuitò instituere possit, & Regiæ originis decus splendoremque sustinere.

Hoc idem celsæ & erectæ mentis consilium, pro suo in litteras studio, jam pridem animo volvit Augustissimus Regens: quod ut quam primum fiat, eâ quâ apud ipsum vales auctoritate facilè assequêris. Hoc à te beneficium ex-

pectant omnes boni [illegible] immortale opus, & [illegible] & tuæ ipsius gloriæ [illegible], quem Mæcenatem [illegible] Academia Parisiensis perennibus [illegible] consecrabit.

REGIORUM SIGILLORUM

CUSTODEM,

Ob assertam Universitati gratuitò docendi Facultatem.

PAUCI omnino menses sunt, FIDELISSIME REGIORUM SIGILLORUM CUSTOS, ex quo Academia Parisiensis, dum te publicâ legatione salutaret, se tibi suasque res, tanquam potenti patrono & optimo Mæcenati, commendavit.

Ita tum à te excepti sumus, ita nos non facundè solùm, sed etiam benevolè, imò amanter allocutus es; ita de proposito gratuitæ Institutionis consilio splendidè & sapienter disseruisti, ut certiore quàm unquam aliàs erecti fiduciâ, lætissimas spes in Latium nostrum reportaremus.

Illas porrò non [illegible]
sas, qui promissas [illegible]
ipsâ expectatione nostrâ [illegible]
impletas hodie tibi [illegible]
bene memoris affectu [illegible]
Declarasti profectò quantùm [illegible]
tua reponi oporteat [illegible]
clientes tuos, quod [illegible]
dis vocibus, & inanibus pr[illegible]
lactes, ut post longas [illegible]
prensationes, dilatam diu [illegible]
sustineant, [illegible]

Tu de Academia Parisiensi [illegible]
magnificè solùm, sed [illegible]
riter promeritus es, quod [illegible]
beneficii loco haberi debet. [illegible]
diebus feliciter [illegible]
ante te meditati sunt non [illegible]
nonnulli vota voluntatis [illegible]
susceptum, infectum [illegible]
sine suo & bonorum omnium [illegible]
lore, reliquerunt. Richelius ipse,
ad grandia & excelsa quæque [illegible]
qui ea semper aggressus est: [illegible]
ante illum nemo; qui omnia ferè
quæ aggressus est perfecit; vidit

[illegible] regni [illegible] Galliæ [illegible] Academiam [illegible] at idem extin- [illegible] sua de- [illegible] adjice- [illegible] Sorbo- [illegible] mà- [illegible] certè [illegible]

[illegible] quidem [illegible] quæ pe- [illegible] Agebatur [illegible] commo- dato, [illegible] Regni [illegible] splen- [illegible] dignitas. [illegible] præterea [illegible] primogenitæ Regum [illegible] non modo sua [illegible] nova, [illegible] Verùm in hac difficultate temporum, in his [illegible], angustiis; [illegible] hujus pul- cherrimæ rei successum impedire possent; aut saltem retardare.

Vicit tamen, te auctore, utili- tas publica; cessit æquitati fiscus,

cujus nunquam mala causa est, inquit Plinius, *nisi sub bono Principe*; addere mihi liceat, & sub similibus Principi Administris.

Ergo Literas vindicasti in libertatem, atque è tenebris quodammodo in lucem eduxisti. Quod in toto vitæ exercitatissimæ curriculo patuit omnibus, nihil tam intricatum esse quod non expedias, nihil tam difficile & arduum quod non facilè & sine negotio assequaris, urbanarum juxtà & externarum rerum sciens, intelligens forensium, civilium peritissimus, id in hac quoque nostra re ostendisti; ut qua potissimùm arte excellas statuere nemini liceat, illud autem affirmari certò possit, te ad id unum natum videri quodcumque agis.

Quid quòd tam insigne beneficium tanta facultate alloquendi, tanta & tam honorifica in Academiam comitate conditum voluisti, ut rei suapte naturâ gratissimæ novam insuper gratiam adjiceres, &

regiam

regiam munificentiam tua quoque propriâ liberalitate cumulares ?

Vivet igitur in animis fastisque nostris tuorum in nos meritorum memoria, quibus, quoniam pares gratias referre semel non licet, habebimus certè nunquam perituras. Faciemus, quod unum possumus, ut reflorescentes ope tuâ Literæ nostræ fautorem suum remotissimæ posteritati commendent. Quamdiu vigebit Academia, prædicabitur à nobis ille dies quo splendidum Ludovici & Philippi munus, simulque nomen tuum & nostrum decus, æternitati, unâ & eâdem sigilli regalis impressione, consignasti.

MANDEMENT

DU RECTEUR.

NOUS CHARLES COFFIN, Recteur de l'Université [illegible] à tous ceux qui ces présentes Lettres verront, SALUT.

Quoique la récompense du travail soit une justice, que l'on ne peut raisonnablement refuser à ceux qui s'y appliquent, l'Université de Paris, quoique sensible à l'honneur [illegible] à l'intérêt, a toujours vû à regret les Professeurs recevoir de leurs Disciples un honoraire, que la nécessité pouvoit excuser; mais qui dans le fond étoit peu convenable à la dignité des Lettres. L'Université jouissoit, presque dès sa naissance, de la propriété des Messageries dont la possession lui a été confirmée par les Edits & Déclarations de nos Rois;

MUNIMENTUM [illegible]

[illegible] DOCTEUR.

NOS Consules [illegible] Rectores [illegible] studii Pari-[illegible], [illegible] praesentes literas inspecturis, SALUTEM.

Etsi suum cuique impensi laboris pretium rependi haud iniquum est; [illegible] quam optimi [illegible] ipsi Professoribus suis undequaque certam à Discipulis mercedem [illegible] necessariam magis quam [illegible] illa quidem [illegible] tam penè sæculi, & [illegible] deinceps Regum Edictis ac Diplomatibus confirmatam publicorum Nunciaturum possessionem, quam alen-

& depuis long-temps elle en déli-
roit le produit [illegible] l'entretien [illegible]
tres, & au soulagement des [illegible]
Mais ce fonds, quoiqu'abon-
dant par lui-même, [illegible] n'a
pas rapporté jusqu'à présent un re-
venu suffisant pour assigner une pen-
sion honnête à chacun de ses Pro-
fesseurs. Il étoit réservé au [illegible] d'é-
terniser la mémoire de ses premières
années par l'accomplissement d'un
si glorieux dessein. En[illegible] grace à
Dieu, par un effet de l'auguste pro-
tection que le grand Prince qui
gouverne la France accorde si géné-
reusement aux Sciences & aux Sça-
vans, le Roi, qui devient [illegible]
le Pere des Lettres en même-temps
qu'il en est le plus digne Eleve,
connoissant également la bonté de
son cœur & la justice de nos droits,
a voulu que cet ancien patrimoine
de l'Université fût augmenté : en
sorte que la Fille-aînée de nos Rois,
honorablement dotée, ne dégene-
rât point de la grandeur de son ori-

[illegible] magistris, adeoque levandis dif-[illegible] centium sumptibus jam pridem destinabat. Verum, fundus hic, licet [illegible] breviorem [illegible] fieri, quam ut ex eo justum singulis Professoribus stipendium suppeditari posset. Debebatur LUDOVICO XV. vix bene decimum [illegible] Ingressus pulcherrimi operis [illegible] nunquam interitura gloria. Nam [illegible] Deo promovente Augustissimo Regente, Literarum & Literatorum fautore munificentissimo, Rex Christianissimus [illegible] bonarum Artium [illegible] idem ac [illegible] nec minus [illegible] bonitate [illegible] causæ nostræ jure adductus, vetus illud Universitatis patrimonium eatenus auctum & amplificatum tandem voluit, ut Primogenita Regum Fran-

gine, & fût en état d'exercer noblement des Arts aussi nobles que ceux dont elle fait profession. Par cette faveur singuliere le Roi fournit lui-même des Maîtres, non-seulement à la jeunesse de Paris & de tout le Royaume, mais encore à celle des Pays étrangers : & c'est à présent qu'une doctrine qui s'est toujours conservée dans sa pureté, sera toujours plus étendue, & que son accès en sera plus libre, quoiqu'il n'ait jamais été interdit à personne, & aux pauvres les moins qu'à tout autre. Quelle joie un si heureux commencement de Regne ne doit-il pas inspirer à tous les bons sujets ? Quel présage plus sûr d'un heureux avenir ? Car enfin que ne fera point dans la force & dans la maturité de l'âge un Prince dont l'Enfance se signale d'une maniere si glorieuse ?

Nous déclarons donc, que tous les Professeurs de l'Université de Paris n'exigeront plus de leurs éco-

[illegible], apud quem Musæ decenti ornata dote, nihilque ab originis suæ nobilitate degeneret, ingenuas ac liberales Artes liberaliter etiam exerceret. Quo tam insigni beneficio non modò Civium Parisinorum, sed Gallorum omnium, ipsorum etiam Exterorum liberis publici Præceptores ab ipso Rege offeruntur, & doctrinæ nostræ purissimi fontes (qui tamen nemini unquam, minimèque omnium pauperibus clausi fuerunt) latius jam commodiusque referantur. Post ineuntis Regni auspicia [illegible] magnâ [illegible] excipere debent boni omnes. Quid enim is præstiturus non est adultus & vir, qui tale sui specimen edit vel puer?

Nos itaque facimus omnes Academiæ nostræ Professores, Discipulorum industriâ, modestiâque

liers [illegible] la modestie, & qu'on a commencé à y enseigner sur ce pied depuis le premier jour d'Avril.

Nous [illegible] sage & bien [illegible] nos Classes avec toute la joie & tout l'empressement dont elle est capable, y prendre [illegible] habitude de jouir des bienfaits d'un Roi de leur âge, pour qui on les élève, & qu'on élève pour eux, & commencer dès à présent à le reconnoître pour leur pere commun, par l'éducation gratuite qu'il leur procure.

En attendant que nous en rendions à Dieu des actions de graces plus solemnelles; Nous ordonnons que dans tous les Colleges de plein exercice on chante le *Te Deum*, avec le Pseaume *Exaudiat*, pour la conservation du Roi qui vient de donner des marques si éclatantes de sa bonté; que pleins de reconnoissance on prie aussi pour Monsei-

contentos, nullum deinceps à quoquam honorarium exacturos esse; initium vero sic docendi ab ipsis Kal. Aprilis hujus anni factum.

Invitamus omnes boni ingenii bonaque mentis pueros, ut in Scholas nostras læti & celebres conveniant [illegible] cœvi Regis, crescunt, qui & illis cres- [illegible] publicum pa- [illegible] educationis expe- [illegible] venire.

Interim donec solemniores omnipotenti Deo gratias persolvamus, jubemus in singulis majoribus Collegiis cantari hymnum *Te Deum* cum psalmo *Exaudiat* pro beneficentissimi Regis incolumitate ac salute: fundi præterea pias preces pro Serenissimo Regente, enixeque ab

gneur le Regent [illegible] enfin on supplie [illegible] & le zéle possible l'Auteur de tout bien de répandre sur les Maîtres l'esprit de science & de pieté, plus précieux que tout l'or du monde, & d'enseigner aux Disciples la vraie & sola sagesse, lui *qui seul est le Docteur & le Maître de tous*.

Il y aura congé Vendredi & Mardi prochains.

Donné en notre Hôtel au College de Beauvais, le 13 Mai, 1718.



omnium bonorum Auctore flagitari, ut & in Magistros spiritum scientiæ ac pietatis, divitiis omnibus pretiosiorem effundat, & Discipulos bonitatem atque disciplinam ipse, qui bonus omnium magister est, edoceat.

Feriabuntur Scholæ diebus proximis Lunæ & Martis.

Datum in Ædibus nostris Dormano-Bellovacis, die duodecima Maii, anno Domini M. DCC. XIX.



CONGÉS ACCORDÉS PAR LE ROY À L'UNIVERSITÉ.

NOUS CHARLES COFFIN, Recteur de l'Université de Paris, à tous les Etudians de nos Colleges, Salut.

Nous annonçâmes il y a peu de jours au public le bienfait signalé & vraiment digne d'un Roi, qu'il a plû à Sa Majesté d'accorder à l'Université de Paris, pour la mettre en état d'instruire gratuitement la jeunesse de son Royaume. Nous avons eu l'honneur de lui en faire publiquement nos très-humbles remercîmens ; & dans le tems que nous nous acquittions de ce glorieux devoir, ce Prince bien-faisant a voulu à cette premiere grace en ajouter une seconde, d'un ordre dif-

FERIÆ LUDOVICIÆ.

NOS CAROLUS COFIN, Rector Universi Studii Parisiensis, omnibus Academiæ nostræ Scholaribus, SALUTEM.

Promulgavimus non ita pridem insigne & verè regium LUDOVICI XV beneficium, quo quidem ad fovenda Gallicæ Juventutis studia, gratuitam Discipulis omnibus Professorum nostrorum operam effecit. Cùm autem nuper solemnes optimo Principi pro tantâ munificentiâ gratias ageremus, eccè novum priori munus adjecit, licèt genere

férent à la vérité, mais agréable par elle-même à la jeunesse, & infiniment précieuse par la majesté & par la bonté du Monarque qui la lui fait. Le Roi non content d'avoir facilité à ses jeunes Sujets, les moyens de cultiver leur esprit, en leur fournissant lui-même des Maîtres, a cru devoir accorder quelque chose à leur inclination, en donnant trois jours de congé à tous nos Etudians. Dans une grace, qu'il étoit si facile & si naturel à un Prince de cet âge d'étendre plus loin, Sa Majesté a sçu, par un discernement superieur, montrer de la bonté en permettant un délassement légitime, & de la moderation en le réduisant à de justes bornes. Ainsi connoissant déja tout le prix du tems, Elle s'est contentée de donner un intervalle suffisant pour prendre quelque relâche; mais sans favoriser le penchant à la dissipation & à la paresse.

En expliquant donc les intentions

[illegible] suâpte gratissimum: [illegible]scentibus, & dantis, non dignitate solum, sed etiam animo ac voluntate pretiosissimum. Postquam enim excolendis facilius [illegible] ingeniis, im- [illegible] [illegible] status dantur etiam aliquid in præsens ætatis indoli, quæ ludis & oblectamentis ducitur, tres Academicæ Scholæ Ferias constituit, in persa- [illegible] puerilitas prodigus, seu [illegible] temperamento [illegible] & benignum se largiendo probaret, & justos fines præscribendo, cau- tè [illegible] moderatum. Nimirum [illegible] tempore [illegible] Augustus Puer, in modo concessit, quod animis corporibusque paulo liberalius relaxandis sufficere posset, non otii consuetudinem inducere.

Hos itaque Regis voluntatem et

dè Sa Majesté par son exemple & par sa conduite [illegible] jugeons point à propos que ces jours de congé soient continus, de peur que par une interruption trop longue de l'exercice des Classes, les Jeunes gens, comme il arrive, ne se laissent insensiblement séduire par les charmes dangereux de l'oisiveté. Nous souhaitons que ces jours soient répandus dans le cours de plusieurs semaines. C'est même le moyen de ménager la grace du Prince, & d'en mieux goûter la douceur, en la faisant durer plus long-temps, & en y revenant à plusieurs reprises avec une satisfaction toujours nouvelle. Nous exhortons outre cela nos Etudians à ne point passer entiérement ces jours même de repos dans les jeux & les autres divertissemens dont l'esprit ne remporte rien, mais d'en réserver une partie pour quelque lecture profitable. Ils imiteront ainsi, en la maniere dont ils le peuvent, [illegible]

ipsius Regis exemplo salubriter interpretantes, ne longiori remissione periculosa desidiæ, ut fit, dulcedo subeat, noluimus tres illos dies continuari, sed in plures hebdomadas distribui & velut intercalari jubemus. Ita etiam fiet ut non statim exhauriatur propinata per regiam indulgentiam voluptas, sed producta longiùs & sæpiùs usurpata, suavissime regustetur. Hortamur præterea Scholares nostros, ut illas ipsas Ferias non totas in ludo aliisque ineruditis oblectationibus conterant; sed partem aliquam de solido die decerptam, ac prælibatam in Libris privatim collocent, studiosum Principem, quâ fas est, æmulati, qui expertem omnis laboris diem

dè Sa Majesté par son exemple & par sa condui[illegible] jugeons point à propos que ces jours de congé soient continus, de peur que par une interruption trop longue de l'[illegible] Jeunes gens, comme il arrive [illegible], se laissent insensiblement séduire par les charmes dangereux de l'oisiveté. Nous souhaitons que ces jours soient répandus dans le cours de plusieurs semaines. C'est même le moyen de ménager la grâce du Prince, & d'en mieux goûter la douceur, en la faisant durer plus long-temps, & en y revenant à plusieurs reprises avec une satisfaction toujours nouvelle. Nous exhortons outre cela nos Etudians à ne point passer entiérement ces jours même de repos dans les jeux & les autres divertissemens dont l'esprit ne remporte rien, mais d'en réserver une partie pour quelque lecture profitable. Ils imiteront ainsi, en la maniere dont ils le peuvent, [illegible]

ipsius Regis exemplo salubriter interpretantes, ne longiori remissione periculosa desidiæ, ut fit, dulcedo subeat; noluimus tres illos dies continuari, sed in plures hebdomadas distribui & velut intercalari jubemus. Ita etiam fiet, ut non statim exhauriatur propinata per negotia indulgentiam voluptas, sed producta longiùs & sæpiùs usurpata suavissime regustetur. Hortamur præterea Scholares nostros, ut illas ipsas Ferias non totas in ludo aliisque ineruditis oblectationibus conterant; sed partem aliquam de solido die decerptam ad prælibatam in Libris privatim collocent, studiosum Principem, quâ fas est, æmulati, qui expertem omnis laboris diem

ple de leur Roi, qui a soin dès à présent de s'instruire, sçait déja partager utilement son temps, en s'acquittant avec fidélité de ses exercices ordinaires ; & qu'il regarderoit comme perdu un jour qu'il auroit passé sans quelque occupation sérieuse.

Qu'ils apprennent chaque jour à aimer & révérer un jeune Monarque, si digne d'amour & de vénération ; & qu'ils ne cessent dans leurs desirs de baiser respectueusement une main bienfaisante, qui ne pouvant encore soutenir tout le poids du sceptre, est déja si accoutumée à répandre des graces de tout genre, & sur toutes sortes de personnes.

Il y aura congé le Lundi 5, Mercredi 21, & Mardi 27 Juin.

Donné en notre Hôtel au Collége de Beauvais, le 27 Mai, 1719.

perditum non duceret, diligens jam nunc officiorum omnium horarumque dispensator.

Discant quotidie magis [illegible] ac veteri dignissimum amore & veneratione Regem; animoque, quod pollicentur, exosculentur mentem habilem gerendo sceptro, & jam donis dandis multipliciter exercitatam in populum.

Feriabuntur ergo Scholæ diebus integris Lunæ 26°, Mercurii 21°, & Martis 27° Junii.

Datum in Ædibus nostris Dormano-Bellovacis, die vigesimâ-septimâ Maii, M. DCC. XIX.

SUPPLICATIONES UNIVERSITATIS STUDIORUM,

Ob gratuitam Juventutis Institutionem.

NOS, CAROLUS COFFIN, Rector Universi Studii Parisiensis, mandamus, præcipimusque omnibus & singulis ejusdem Universitatis Doctoribus, Magistris, Clientibus & Administris, cujuscumque sint conditionis aut gradus, ut memores jurisjurandi quo suam Academiæ fidem obstrinxerunt, die Martis decimo-tertio mensis Junii, adsint apud Maturinenses, horâ ipsâ sesqui-septimâ matutinâ, ornati ut decet, inde ad Ædem Deo Sacram sub invocatione SANCTI ROCHI rite processuri, Deo Optimo Maximo piè supplicaturi pro Fidelium con-

condita, hæresean extirpatione, hujus florentissimi Regni salute atque pace, pro Regis & Regni Regentis Augustissimi, totiusque Regiæ Prosapiæ incolumitate, nostræ Academiæ tranquillitate & dignitate, frugibus terræ, aëris salubri temperie, & cunctis rebus humano generi secundùm Deum necessariis.

Ad hæc ordinaria Supplicationum nostratum momenta accedant oportet piæ gratiarum actiones ob concessum nuper Ludovici XV munificentiâ Professoribus nostris perenne & perhonorificum stipendium, cujus ope studiosam juventutem gratuito in posterum instituent. Ac ne quid ejus diei celebritati desit, Sacrum in prædicta Æde faciet Eminentissimus Cardinalis Noallius, Archiepiscopus Parisiensis, Sacræ Facultatis Doctor, Sorbonæ Provisor, Regiæ Navarræ Superior, Academiæ nostræ alumnus quondam, non Academiæ solùm, sed ipsius Ecclesiæ insigne decus & ornamen-

eum. Hoc sanctissimo apud Deum votorum nostrorum [illegible] dimus nos ad thronum gratiæ [illegible] accessuros, *ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

Meminerint autem [illegible] imperatam horam sesqui-septimam [illegible] convenire, [illegible] post brevem [illegible] eademque [illegible] Sacris interesse [illegible] quàm [illegible] Divin[illegible] cium.

Sub finem Missæ [illegible] Hymnus *Te Deum.*

DATUM [illegible] Ædibus nostris Dormano-Bellovacæ, die septimo mensis Junii, anno Domini M. DCC. XI.

AU ROY

SIRE,

Les nouvelles années de Votre Majesté n'ajoutent rien au profond respect & à la parfaite soumission qui sont dûs à la Royauté, & dont l'Université de Paris a toujours fait une profession particuliere ; mais vos Vertus Royales qui se développent tous les jours davantage, & la suite de vos bontés pour nous augmentent aussi tous les jours notre admiration, notre amour & notre reconnoissance.

Les premiers regards que Votre Majesté a jettés sur nous, ont été des regards de bienveillance & de grace. Non content d'honorer les Lettres par l'application que vous y donnez, vous les avez relevées

par vos largeſſes, & vous les encouragez par l'acueil favorable que vous leur faites dans toutes les occaſions.

Nous n'oublierons point, SIRE, ce jour éclatant, qui ſera regardé à jamais comme un jour de triomphe pour l'Univerſité, où Votre Majeſté daignant occuper ſes yeux du ſpectacle d'une de nos fêtes, nous donna elle-même par ſa préſence le plus beau & le plus charmant de tous les ſpectacles. Vous mîtes par-là le comble, SIRE, au bienfait dont nous allions rendre graces au Seigneur, & nous ne craindrons point de dire, que cette attention de notre Roi à honorer le Corps entier de l'Univerſité, ne nous toucha pas moins ſenſiblement que la bonté même que vous aviez eu d'aſsûrer la fortune des particuliers qui la compoſent. Une telle diſtinction en nous attirant de la part du public, un ſurcroît d'eſtime & de confiance, a inſpiré à tous

nos

nos Maîtres une nouvelle ardeur pour l'éducation des Enfans qui leur sont confiés. Aussi les voyons nous venir en plus grand nombre puiser dans ces sources pures que vos Augustes Prédecesseurs avoient ouvertes ; mais que Votre Majesté vient de rendre plus abondantes, & d'un plus facile accès.

C'est ainsi que nous avons éprouvé, SIRE, en plus d'une maniere ce naturel bienfaisant qui vous a déja gagné tous les cœurs, & qui est regardé dans l'Evangile comme la vertu propre des Rois, qui selon le témoignage de Jesus-Christ même, sont honorés du nom de bienfaisans.

Que pouvons-nous faire, SIRE, pour reconnoître dignement tant de faveurs ? Nos Poëtes & nos Orateurs se sont efforcés de les célébrer par leurs ouvrages. Nos successeurs le feront dans toute la posterité ; & si l'on veut douter que Charlemagne ait été le premier fondateur de

l'Université, dont l'origine se cache dans des siecles fort reculés ; il demeurera du moins pour constant que vous en avez été le restaurateur. On dira qu'un des premiers fruits de l'excellente éducation que vous avez le bonheur de recevoir, plus précieuse, SIRE, que la Couronne même que vous portez, a été de procurer à vos jeunes sujets de nouveaux moyens de s'instruire, dans le temps que vous leur donniez l'exemple éclatant d'un sincere amour de l'instruction.

Puisse cette heureuse Jeunesse, SIRE, profiter de ce double avantage, & se rendre de jour en jour plus digne de vivre long-temps sous les loix aimables d'un Prince, si digne lui-même de regner long-temps sur le meilleur & le plus fidéle de tous les peuples.

A SON ALTESSE ROYALE

MONSEIGNEUR

LE DUC D'ORLEANS,

REGENT.

MONSEIGNEUR,

Nous n'avons paru jusqu'ici devant VOTRE ALTESSE ROYALE, que pour lui demander des graces, ou lui faire des remercimens : aujourd'hui nous venons la féliciter du succès qu'il plaît à Dieu de donner à ses nobles & royales intentions.

Nous ne parlons point, MONSEIGNEUR, de ce que vous faites

tous les jours par rapport au gouvernement avec une activité égale à l'étendue & à la pénétration de vos lumieres. Nous nous renfermons dans ce qui convient à des hommes de Lettres, qui ont l'honneur de parler à un Prince amateur & protecteur des Lettres. Chargés de l'Instruction publique de la Jeunesse, nous venons présenter à Votre Altesse Royale, les premiers fruits de l'utile & glorieux établissement que vous avez fait pour cette précieuse portion des sujets de Sa Majesté.

Un Auteur ancien rapporte que le fameux Legislateur de Lacedemone, qui avoit regardé l'éducation des enfans comme la base de ses nouvelles loix, voyant que ses Ordonnances si belles & si grandes, dit le célébre Traducteur dans son style antique, mais naïf & energique, *commençoient à prendre pied, & à s'acheminer par usage & réelle*

expérience, il en ressentit une joie pareille à celle de Dieu même, lorsqu'il vit le monde nouvellement sorti de ses mains, suivre la premiere impression de mouvement qu'il lui avoit donnée.

Sans vouloir adopter une pensée si hardie, ne pouvons-nous pas dire, MONSEIGNEUR, que Votre Altesse Royale éprouva quelque chose de semblable dès ce jour si glorieux pour nous, où vous daignâtes contempler à loisir le Corps entier de l'Université, qui venoit de recevoir par vos soins une espece de nouvelle naissance plus éclatante que la premiere ?

Mais cette complaisance si pure & si légitime augmentera beaucoup, MONSEIGNEUR, par l'assurance que nous venons donner à Votre Altesse Royale, du renouvellement que l'Instruction Gratuite a déja produit dans nos études & dans notre discipline. Les jeunes gens

que l'indigence avoient écartés de nos Colleges, commencent à revenir dans leur école naturelle, profiter des premieres graces d'un jeune Prince destiné à les rendre heureux. Nos Maîtres contens d'une honorable mediocrité, & affranchis de toute autre dépendance que de celle de leur devoir, s'occupent uniquement du soin de répondre à la juste attente du Roi & de Votre Altesse Royale. Ils se croient d'autant moins quittes envers vous, MONSEIGNEUR, que vous avez paru plus content des témoignages publics de leur reconnoissance. Nous n'oublierons point ce que vous eutes la bonté de nous répondre en recevant quelques foibles essais de nos Muses Grecques & Latines, que notre application à servir le public vous tenoit lieu de remerciment, & que l'Université étoit un Corps qu'on ne pouvoit trop encourager.

Ces mots si honorables pour nous,

MONSEIGNEUR, en decouvrant de nouveau les motifs qui vous ont fait agir, nous imposent aussi tout de nouveau la glorieuse obligation de justifier de plus en plus le bienfait d'un Prince, dont les jugemens sont d'un si grand poids.

Nous esperons d'y réussir, MONSEIGNEUR, avec le secours des nouveaux Reglemens que vous songez à nous donner pour affermir le bien que vous avez fait. Cet ouvrage n'est pas indigne, MONSEIGNEUR, d'avoir place dans l'histoire d'une Regence, dont les événemens, qui semblent sortir de l'ordre naturel, font aujourd'hui l'étonnement de toute l'Europe. La derniere Réformation de l'Université porte le nom respectable de Henri IV, votre Auguste Bisayeul. Il étoit juste que celle que nous attendons fût l'ouvrage d'un Prince, qui joint aux éminentes qualités de Henri le Grand, un goût exquis pour les

Lettres ; & qu'après les avoir relevées par la magnificence de ses dons, il les soutînt par la sagesse de ses loix.



AD FIDELISSIMUM

REGIORUM SIGILLORUM

CUSTODEM.

UNIVERSITAS Parisiensis Regibus & Vicariis Regum Magistratibus ex ipsius Christi præcepto constanter addicta, hodiernæ salutationis officium Regiæ potestatis Administro libentissimè persolvit, Fidelissime REGIORUM SIGILLORUM CUSTOS: at eadem acceptorum à te beneficiorum bene memor lætatur Patrono Fautorique suo velut annuum grati animi vectigal pensitare. Quòd enim jam artes nostras liberaliter exercere liceat, nec ultrà honestissimum laborem indecoro pretio vendere necesse sit; id regiæ quidem munificentiæ primùm, deinde verò curis felicibus tuis, & expeditæ in difficillimis rebus dexteritati debe-

tur. Habes te dignum tam pulchri operis confecti pretium, consentientem bonorum omnium laudem, dulcissimam procuratæ civium utilitatis conscientiam; addam etiam tenerrimos in te sensus affectusque totius Universitatis, quæ, si nihil aliud, hominum certè de se bene meritorum memoriam singulari semper est amore ac veneratione prosecuta in præsens, & perennibus annalium suorum monumentis perhonorificè consecravit.

Interim liceat nobis, dum officia in nos tua commemoramus, Regis in te tuamque generosissimam prolem beneficium recens tibi gratulari. Æquissimus virtutis & ingeniorum æstimator Philippus, dum filiis tuis supra ætatem gnaris ac sapientibus, ante ætatem concessit amplissimos quos reliquisti magistratus, fecit ut nusquam desiderareris, fecit idem ut nihil tibi ultra desiderandum esset. Quod enim paucis patribus contingit, ut post

mortem ad liberos sua munera suique honores perveniant, hunc tu superstes jucundissimum patrio animo fructum percipis, vivusque, ut ait poëta quidam, posteritate tuâ frueris.

Fruere illâ diu, aliisque quibus abundas commodis & ornamentis. Interim cereum hoc munus habe novum observantiæ in te nostræ pignus, novum, ut speramus, benevolentiæ in nos tuæ vinculum.



ILLUSTRISSIMO VIRO
D. Fagon.

FUNDATAM in Academia Parisiensi gratuitam Institutionem Regi primùm & Augustissimo Regenti, quorum munificentiæ debetur, gratulati sumus, VIR ILLUSTRISSIME; eamdem hodie gratulamur tibi, cujus acri studio, sagacibus curis, indefesso labore pulcherrimum illud opus non celeriter minùs quàm feliciter confectum est. Pro illo singulari immortalique beneficio, quo non magis publicæ utilitati quàm dignitati nostræ consultum est, debetur tibi à nobis singularis immortalisque gratia. Fecimus hucusque quod litteratis hominibus licet, ut nomen tuum, nomen jam anteà carum Universitati, non modo nostris omnium sermonibus celebraretur in præsens, sed etiam æternis

annalium nostrorum monumentis perhonorificè consignaretur. Verùm aliquid observantiæ in te nostræ defuturum existimavimus, nisi eam quotannis insigni aliquo & solemni pignore testaremur, teque hoc munere, quo nihil habemus majus, viris amplissimorum Ordinum Principibus, ac propè Regibus nostris æquaremus. Patere igitur hoc tibi ab Academia Parisiensi honoris, obsequii, fidei annuum vectigal pensitari; virosque tibi addictissimos, tui amantissimos perge, ut fecisti, tuo potenti honorificóque patrocinio tueri & ornare.

ILLUSTRISSIMO SUPREMI

Senatûs Principi D. De Mesmes.

HODIERNÆ salutationis officium libentissimè persolvit Universitas Parisiensis, & supremi Senatûs Principi, & tibi, VIR ILLUSTRISSIME. Debetur hoc qualecumque observantiæ vectigal ei Ordini, quo nullus augustior, nullus publicæ utilitati, nullus Academiæ nostræ addictior : debetur tibi, à quo nos foveri & amari intelligimus non Senatorio tantùm instinctu, sed maximè propria & insita Memmiæ Genti in literatos homines propensione. Liceat profiteri palam te vicissim à nobis non modò coli ut principem Magistratum, sed etiam diligi ut parentem, ut patronum, propè dixi, ut amicum. Optamus id modò ut valetudo tua restitua-

tu...

ſit bonis ... ...nunis te ægrotante metus, convaleſcente lætitia comprobarunt.



AD ILLUSTRISSIMUM

Senatûs Principem D. Joannem Antonium De Mesmes.

DUM nos hodie solenni ritu tuas ædes subimus, ILLUSTRISSIME SENATÛS PRINCEPS, meritò nobis videmur non in alienum solum immigrâsse, sed in nostra quodammodo sede proprióque domicilio versari.

Itaque prodimus in conspectum tuum eâ quidem veneratione perfusi, quæ & ipsi tibi, & amplissimæ qua fulges dignitati debetur; sed ea tamen veneratione, quæ nihil admixtum habeat horroris ac formidinis, tota ex intimo amoris & fiduciæ sensu nascatur.

Nam cùm supremæ Parisiensis Curiæ, quæ te dignissimo duce gloriatur, summa semper in Acade-

miam nostram benevolentia enituit; tum ipsum Memmii dulce & auspicatum literatis hominibus nomen blandè nos ad te allicit & invitat.

Est enim illud proprium Memmiæ Gentis decus, ut ex ea alii quidem in castris, in publicis legationibus alii, alii in foro claruerint, omnibus autem communis in literas & literatos viros amor fuerit. Tu quidem, ILLUSTRISSIME SENATûS PRINCEPS, qui togatorum ante te Memmiorum honores famamque grandis & avidus hæres collegisti; illam quoque pulcherrimi patrimonii pretiosissimam partem tibi pro tuo jure vindicasti, ut & bonas artes amares ipse, & earum cultores favore tuo, tuóque patrocinio dignareris.

Meminimus omnes quàm prompto & alacri animo ultimis hisce temporibus operam tuam Universitati non obtuleris modò, sed etiam navaveris, ut ea tandem pro dignitate dotaretur, & Gallicam juven-

tutem gratuitò posset instituere; cujus pulcherrimi consilii successus utinam studio in nos suo respondisset! Id semper plenissimo ore prædicabit Universitas quæ tuam in suum decus, suáque commoda propensissimam voluntatem, & experta sæpius est, & suavissimè recordatur.


Taceo alia tuæ in Rempublicam nostram literariam benevolentiæ argumenta: unum est quod prætermittere mihi præsertim nefas esset; quod hodie quoque bonorum omnium sermonibus laudibusque celebratur.

Mœrebat avulso peritissimo Rectore Lycæum Bellovacum, &, tanquam destituta gubernatore, ventisque & undis permissa cymba, fluctuabat. Magna intus forisque consternatio in præsens, tristior in futurum expectatio. Conclamatum erat de domûs salute, nec ulla humana ope ei succurri posse videbatur. Accedis, ut ita dicam, ipse ad clavum, ipse auctoritatis tuæ nutu

jacentes erigis animos, timores pellis, & imminens luctuosissimi naufragii periculum, reducta securitate, amoliris. Itaque si quid jam ex illa palæstra redit honoris in literas, si quid in rempublicam utilitatis, totum illud, secundùm Deum, deberi tibi, totum illud tuum esse libentissimè profitemur: quod quidem beneficium in unam è suis familiis collatum pertinere ad se tota Universitas gratissimo memoris animi sensu interpretatur.

Debetur profectò literis multùm præsidii ab eo in quem illæ suos lepores, sua ornamenta bene prodiga manu congessere. Illis nimirum non minùs quàm naturæ debes subtile istud & limatum in æstimandis Auctorum operibus judicium; illam dicendi splendidam expeditamque vim; illud aureum verborum flumen; illam conciliatricem animorum eloquentiam, quam in aula, in foro, in privatis colloquiis amant omnes & admirantur;

quæ te in ſupremo Senatu Antiſtitem juſtitiæ, & ſacrarum Regni legum interpretem in alterum illum Senatum cooptavit, unde ſcribendi dicendique leges ab universa Gallia petuntur.



ILLUSTRISSIMO SENATUS PRINCIPI D. DE MESMES.

UNIVERSITAS Parisiensis, Regibus & vicariis Regum Magistratibus constanter addicta, annuum hunc religiosi muneris honorem primario justitiæ Antistiti veneratbunda persolvit, ILLUSTRISSIME SENATÛS PRINCEPS : at eadem tuorum in se officiorum memor, tuæ voluntatis, amoris tui, conscia, patrono ac propè parenti suo, qùas potest, observantiæ & grati animi vices gaudet rependere, hoc præsertim anno, cùm nova veteribus accesserunt tuæ in nos benevolentiæ argumenta.

Meminimus, & fidelibus consignatum Fastis servamus, quàm honorificè, quàm amicè legatos nostros frequenti Senatu compellave-

ris, quàm comiter eosdem hospitali mensa exceperis, quæ non magis epularum lautitia, quàm ingenii tui lepore, tui sermonis urbanitate condiebatur. Nimirum propria semper fuit Memmiæ gentis humanitas. In ea vetus usitatumque est & literas amare, & literatos homines non tueri modò, verùm etiam in omnia familiaris amicitiæ jura recipere. Optamus id tantùm ut diu te nobis incolumi frui liceat, ut ipse restituta valetudine diu fruaris in dulcissimo florentissimæ familiæ sinu, quam & auctam recentibus nuptiis tibi gratulamur, & augendam non uno tam felicis hymenæi fructu speramus, imò, si quid vota nostra possunt, ominamur. Interim hoc solenni cereo, & amor in nos tuus, & veneratio in te nostra veluti sacro quodam fœdere denuò sanciantur.

AD ILLUSTRISSIMUM

Regiarum Rationum Curiæ Præsidem D. D. Nicolai.

MULTA sunt, quæ te Academiæ Parisiensi inter principes Magistratus verendum & spectabilem efficiant, *Illustrissime Regiarum Rationum Curiæ Præses.* Oriundus ducis ex ea gente qua vix ulla antiquior aut illustrior, quæ multas jam ætates hæret in illius amplissimi muneris possessione, quod tu nunc octavus à primo successor, non interrupta serie sustines; in qua semper constantissimè earum virtutum laus viguit, quas comites esse oportuit tantæ dignitatis, ut illa tandiu in eadem domo non Regi solùm sed etiam civibus bene collocata videretur.

Verùm alia quædam in te intuetur Universitas, quæ tui magis propria sunt; illam dico perspicacis

ingenii vim, illam excelsæ & generosæ mentis indolem, illud publicæ utilitatis ardens studium, illam denique in reddendâ justitia, in tuendis patriæ legibus integritatem, constantiam, fidem. Quibus eximiis virtutibus, non minus in majores tuos splendoris à te vicissim refunditur, quàm tu ab iis ornamenti mutuaris. [illegible]

His accedit illud [illegible] Academiæ sis, [illegible], ut bonas artes ames ipse, [illegible] studia literarum colas, & negotiorum intervallo non ineruditis voluptatibus, sed amœnissima optimorum scriptorum lectione distinguas. Inde tantas vires sumpsit illa, quæ tibi gentis propria est & [illegible] modo naturalis eloquentia.

Summo semper honori ducet Universitas ab illo Magistratu coli & amari, qui tot abundet animi, ingenii doctrinæque præsidiis, eáque tota velit civium utilitati & totius regni commodis subservire.

AD

AD ILLUSTRISSIMUM

Regiorum Subsidiorum Curiæ Præsidem D. D. Le Camus.

LÆTA admodum & confidenter domum tuam Academia Parisiensis ingreditur, Illustrissime Regiorum Subsidiorum Præses, quam favere sibi constanter jam inde ab remotissimis temporibus & Academicam esse totam intelligit.

Amavit nos Illustrissimus avus tuus, bonorum ipse omnium amor ac deliciæ, qui in illo quod nunc geris splendidissimo munere, tanta integritatis, justitiæ, fortitudinis, comitatis etiam laude consenuit.

Amavit clarissimus ille patruus, alterum absoluti Magistratûs exemplar, nec minorem in inferioris fori præfectura famam assecutus; amavit, inquam, vir sapientissimus

Parisiensem Academiam, ut suam parens, illiusque semper jura & privilegia non magis ex urbani prætoris officio, quam proprio quodam studio & propensa in eam voluntate defendit.

Eandem amavit sanctissimus ille Cardinalis, magnum quoque Camusiæ gentis decus, & splendor, ut alii in foro, sic ipse in Ecclesia lumen; qui haustam ex purissimis Universitatis fontibus doctrinam immortalibus scriptis æternæ posteritati profuturam consecravit.

Tu verò, Illustrissime Regiorum Subsidiorum Præses, hæres tanti nominis non degener, quem in ipsa adolescentia, tantæ dignitati maturum, tanto gravissimorum negotiorum ponderi non imparem suspeximus, dum colligendo domesticarum laudum patrimonio sedulus incumbis, hanc quoque traditam à majoribus fovendæ Universitatis præclaram possessionem non retinebis modò, sed etiam diligentiore, si fieri potest

cultu amplificatam liberis tuis transmittes.

Id à te optima, bonarum artium Parens expectat, quæ te, non ita pridem benigno sinu peramanter complexa, commissorum tibi seminum uberrimos fructus dum hodie recognoscit, talem alumnum ipsa sibi gratuletur, atque ut Virgiliano versu absolvam;

Dulcia maternum pertentant gaudia pectus.

AD ILLUSTRISSIMUM

Supremi Consilii Præsidem, D. De Verthamon.

FACERET vel sola, qua fulges, excelsi muneris amplitudo, illustrissime Supremi Consilii Præses, ut Universitas Parisiensis, non minùs officiorum cultrix diligens, quàm bonarum artium magistra, hodie te frequenti comitatu honoris causa conveniret. Debetur quippe publicum illud observantiæ & venerationis testimonium principibus justitiæ administris, quibuscum potestatem suam ipse Rex communicatam esse voluit, quosque subditis suis arbitros ac judices famæ fortunarumque delegavit.

Verùm ut hoc tibi annuæ salutationis tributum libentissimè persolvamus, tuus quoque impellit

litteras & in litterarum parentem Academiam singularis amor.

Hunc animi tui affectum quem cùm sæpè aliàs indicasti, tùm in illa perpolita epistola quam nuper Syndico nostro scripsisti, cùm ei ob missam ad te Universitatis Declarationem, grates ageres; quæ quidem epistola tota spirat non minùs Academicos sensus quàm sinceram generosamque comitatem. . . *Reliqua desunt.*



EMINENTISSIMO CARDINALI
DE NOALLES,
Archiepiscopo Parisiensi.

PUBLICUM hoc anniversariæ salutationis officium, non consuetudo à nobis exprimit, non exigit ambitio; sed amor elicit, veneratio persuadet, ipsa propè Religio imperat, Eminentissime Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. Debetur profectò ab alma non pietatis minus quàm doctrinæ parente hoc religiosum observantiæ vectigal Præsuli sanctissimo, ovium Pastori vigilantissimo, Parisiensis Academiæ fautori studiosissimo. Esto enim, optimam matrem, cujus in sinu coaluerunt, non nulli his temporibus obliviscantur ac despiciant: tu eam cùm antea semper singulari caritate complexus es, tùm præsertim superiore anno splendidis be-

nevolentiæ testimoniis cumulasti, dum ejus commodis ac dignitati apud Deum, apud Regem, pro ea quâ vales utrobique gratiâ; tam piè quàm amanter & urbanè consuluisti. Hærebit igitur æternùm nostris impressa animis, Fastisque consignata tuorum in nos memoria meritorum. Quamdiu prædicabitur Ludovici Decimi-Quinti regia in Academiam Parisiensem liberalitas, tamdiu celebrabitur pulcherrimus ille dies, cùm Universitatis in unam Ædem collectæ vota omnipotenti Deo dignus interpres detulisti, & regium beneficium Illustrissimi fratris filii curis feliciter inchoatum, augusto tremendi sacrificii ritu non minùs magnificè quàm religiosè consummasti.

Vigeat in dies magis suavissimum illud tuorum in nos officiorum, & observantiæ in te nostræ commercium, cujus cereum hoc munus, novum, quæso, pignus novumque vinculum esto.

Ad Illustrissimum Propratorem Urbanum, quum ei à M. CAROLO COFFIN, Procuratore Nationis Gallicanæ, cereus offerretur.

DUM nos hodie solemni ritu tuas ædes subimus, Proprætor Illustrissime, merito nobis videmur non in alienum solum immigrasse, sed in nostra quodammodo sede, proprióque domicilio versari. Itaque prodimus in conspectum tuum, ea quidem veneratione perfusi quæ & genti tuæ, & ipsi tibi, & primariæ qua fulges, dignitati debetur, sed ea tamen veneratione quæ nihil admixtum habeat horroris ac formidinis, tota ex intimo amoris & fiduciæ sensu nascatur.

Nam cùm nobilissimæ Castelleti Curiæ, quæ te jam dudum dignissimo duce gloriatur, summa semper in nos benevolentia enituit, tum ipsum Dargugii dulce & auſ-

picatum literatis hominibus nomen blandè nos ad te allicit & invitat.

Est enim illud proprium gentis tuæ decus ut ex ea alii in castris, alii in supremâ Curiâ, alii in Regis consistorio claruerint, omnibus autem communis literarum & literatorum amor fuerit.

Tu quidem, Proprætor Illustrissime, qui togatorum antè vel Dargugiorum, vel Pelteriorum virtutes, famamque grandis & avidus hæres collegisti, illam quoque pulcherrimi patrimonii partem tibi pro tuo jure vindicasti, ut & bonas artes amares ipse, & earum cultores favore tuo, tuoque patrocinio dignareris.

Quid igitur optatius accidere potest publicis literarum cultoribus, quàm primarium alloqui Magistratum, politioris ipsum literaturæ peramantem? quid Academicis viris lætius quàm principem inter togatos Virum convenire, in quo vigeat

mentis verè Academica ; qui se in Academiæ sinu quondam adole[illegible] & suavissimè meminerit, & [illegible] commemoret, qui eam blanda [illegible] animi significatione optimam Pa[illegible]tem suam appellet; qui denique [illegible] præstò, semper amicus [illegible] minùs quam urbanè pro[illegible]? Quid dicam de nativa illa co[illegible]e quam in te amant omnes, [illegible]n præfers in vultu, in sermone, [illegible]ni vitæ consuetudine; qua [illegible]e cæteræ virtutes tuæ, integri[illegible]ria, gravitas, fides, non q[illegible]liores fiunt, cum sint op[illegible] sed jucundius certè conditæ [illegible] &

Per illam ergo te amen[illegible]m morum suavitatem, per com[illegible]nium literarum studia, per amo[illegible] publicæ utilitatis cui te devo[illegible] oramus & obtestamur, ut idem [illegible]nos esse pergas qui hactenus fu[illegible] eosdemque sensus, velut avi[illegible] possessionem, in generosissimam prolem tuam transfundas.

Interim hoc solemni cereo & amor in nos tuus, & veneratio in te nostra veluti sacro quodam fœdere demùm sanciantur.

Porpratori urbanæ Politiæ.

HOdiernæ salutationis officium non tam consuetudo à nobis exigit, quàm amor, quàm pietas, quam veneratio persuadet, Illustrissime Propraetor. Tibi, non soli exhibetur dignitati publicum hoc observantiæ testimonium; tibi, inquam, & animosæ virtuti quâ te totum Regni gloriæ, & publicæ utilitati devoves.

Illud tui jamdiu splendidum edidisti specimen, cùm in aliis quos magna cum laude gessisti Magistratibus, tum præsertim in hoc perutili & perlaborioso munere, unde publici ordinis ratio & Civium Parisinorum securitas pendet; quod quidem munus multos jam

annos ita sustines, ut eadem ingenii dexteritate & tractes grandia, & ad minuta descendas.

Quid dicam de nativa illa comitate, qua etiam illas severitatis partes quas interdum publica tibi persona imponit, omnibus lenitatis condimentis attemperas, teque hominem cum hominibus agere meministi?

Per illam ergo amœnissimam morum suavitatem, per studia literarum, in quarum sinu adolevisti, quibus etiam nunc, ubi licet, negotiorum intervalla dispungis, oramus te, & obtestamur, ut idem in nos esse pergas qui hactenus fuisti.

Interim cereum hoc munusculum novum amoris in nos tui, & observantiæ in te nostræ pignus esto.

Propraetori Rerum Capitalium.

PUblicum hoc annuae salutationis vectigal libentissimè tibi hodierna die persolvimus, Illustrissime Rerum Capitalium Propraetor. Juvat bonarum artium cultores eum adire Virum qui bonas ipse artes amet. Juvat amantes publicae utilitatis viros eum affari Magistratum qui se totum publicae utilitati devoveat. Quàm fideliter, quàm strenuè, quàm abstinenter gravissimum & utilissimum reipublicae munus exerceas, quàm invitus ad poenam accedas, quàm indulgenter, ubi licet, cum reis agas, quàm sedulò des operam ne diutiùs quàm jus fasque est, carceris horrorem patiantur, omnium celebratur sermonibus. Fruere illa quam adeptus es, fama, Vir clarissime, & dum publicae civium securitati invigilas, tuo nos amore, tua, quam vehementer ambimus, benevolentia, complectere.

Procuratori Regio.

QUo ingenii acumine perplexas causarum ambages evolvas, omnium sermonibus celebratur. Fruere illa qua dignus es existimatione, Vir clarissime, dum succrescens laudi tuæ filius in eodem foro paternis rapido cursu insistit vestigiis, & amplam eloquentiæ virtutisque messem colligit, in decus tuum & publica commoda redundaturam.

POST CELEBRATUM

Diei S. Guillelmi festo sacrificium, oratio eucharistica ad Pontificem.

DUm honoranda Gallorum natio diem Beato Guillelmo sacram solemni ritu concelebrat, Venerande Pontifex; hoc præsertim in votis habet, ut & cœlestem in se gratiam tali apud Deum mediatore sollicitet; & Magistros suos ad æmulandas sanctissimi Præsulis virtutes accendat.

Neque verò mirum cuiquam videri debet quòd honoranda Natio inter varios Beatorum ordines Episcopum sibi præcipuè in Patronum asciverit. Habent enim publici Scholarum Præceptores speciem quamdam Episcopatûs, si minùs dignitate, & inaugurationis sanctitate vero Episcopatui parem, officiorum certè & curarum & laborum pon-

dere non adeo absimilem.

Adolescentium ingenia doctrinis excolere, eorumdem mentes ad veri honestique gustum informare, pectus imprimis, dum adhuc molle & tenerum est, ad omnia Christianæ pietatis officia flectere, invigilare ne quid in eorum mores pravæ contagionis obrepat, tracturos videlicet altiùs quidquid rudibus annis præceperint; atque hæc omnia non ambitione, non inanis gloriæ cupiditate, non turpis lucri gratia, sed solius Dei intuitu, & publicæ utilitatis studio præstare, majus quiddam est & splendidius, quàm vulgus hominum opinatur.

Ad hæc porrò fideliter obeunda munia quantam vim habet, quàm acres stimulos addit sanctissimi Præsulis exemplum; qui post exactam in omnium virtutum rudimento juventutem, celebri primùm monasterio præpositus, deinde, ob eximiam vitæ sanctitatem, in ampliori theatro, id est in sublimi

Ecclesiæ candelabro, præter voluntarem, collocatus, totum se fovendo, pascendo, erudiendo gregi devovit, imperitorum magister, mœstorum consolator, altor egenorum, omnium parens; cujus vita, quam longa fuit, tota inter otium sanctum quod quærit caritas veritatis, & negotium justum quod suscipit necessitas caritatis, aptè distributa, diversas in se Mariæ & Marthæ partes sociavit; qui denique Apostoli exemplo omnia omnibus factus, post impensa pro ovibus suis tempora, vires, opes, semet ipse vitæ sacrificio superimpendit! Tanti Pontificis patrocinio muniti que sufsulti, quid non speremus ab omnipotente Deo, te præsertim, venerande Pontifex, votorum nostrorum interprete, & placabilis sacrificii ministro, te, inquiam, cujus assiduus in imbuenda rebus Theologicis juventute labor, sincera sine fastu, sine austeritate pietas, indoles blanda & benefica apud omnes

commendant; quem imprimis honoranda Natio, ut addictissimum sibi alumnum semper colet, ut eximium sapientiæ doctorem verebitur, ut plenum urbanitate civem diliget?

POST CELEBRATAS

In Æde Collegii Dormano-Bellovaci supplicationes Academicas,

ORATIO EUCHARISTICA AD PONTIFICEM.

EST hoc ab Academia Principe non piè minùs quàm sapienter institutum, Venerande Pontifex, ut anni sui curriculum à precibus ac solemni supplicatione auspicetur. Nimirum intelligit optima mater, cùm alia quælibet, tum studia præcipuè divinæ opis imploratione niti potissimùm oportere, seque frustra pietatis ac doctrinæ semina in juvenum animos sparsuram, nisi eos quidam gratiæ cœlestis velut imber

quodammodo præmolliverit. Atqui tamen ex illo studiorum profectu plurimum non Academiæ solum, sed etiam Regno splendoris, plurimum Religioni tum ornamenti, tum etiam securitatis accedere nemo non intelligit. Quæ bona, quò majora sunt, eò nos tibi impensiùs obstrictos esse decet, qui pro iis impetrandis victimam sanctam & innocentem omnipotenti Deo piis manibus obtulisti. Non morabor in hac parte diutiùs: etenim quàm gratus erga te sit totius Universitatis animus, quæ te benevolentia ac veneratione pro tua pietate doctrináque complectatur, satis, me tacente, intelligis. Sine me tantùm huic Collegio gratulari, ad quod præcipua pars pertinuit hodiernæ celebritatis. Et verò æquum videbatur, ut aliquas honoris vices in eam domum Academia rependeret, ex qua multi viri, ad illius præsidium ornamentumque prodierunt. Ut præsentes omittam, quos inter primus om-

nium occurrit, * vir per annos plusquam quinquaginta de Academia bene meritus, nec minus sapientia & sanctitate morum, quam ætate venerabilis; ut, inquam, præsentes omittam, hæret omnium nostrûm animis suavissima recordatio clarissimi quondam in hac palæstra Professoris ac ** Rectoris, quem egregius meritorum æstimator Ludovicus ex privatæ vitæ umbra, in mediam aulæ lucem evocavit, ut eum Regiorum Principum institutioni, qua nihil ipsi carius est, præficeret. Quid dicam de amantissimi amplissimi Rectoris † fratre, quem etiam hæc Domus tulit, virum integritatis, industriæ, eruditionis laude nullo inferiorem; cujus jacturam Academia defleret insolabiliter, nisi expressa in fratre earumdem virtutum effigies, illius desiderium magna ex parte mitigaret? Hæc sunt

* M. Boutillier.

** M. Vittement.

† Lorey.

vera & propria hujusce Domus decora. Potest illa quidem gloriari regiâ Caroli Quinti manu jacta fuisse prima hujusce templi fundamenta; ortum se ei familiæ debere in qua tres Galliæ Cancellarii extiterunt, inusitatum in alia qualibet gente decus; postremò, ab augustissimo Senatu Parisiensi regi se & administrari: sed hæc sunt quasi quidam natalium splendor, quem quis frustra jactaverit, nisi præterea propriis virtutibus decoretur & suis. Unum mihi ad cumulatam & hujus cæremoniæ celebritatem & hujus Collegii gloriam deesse videtur, alius nimirum orator, qui tibi pleniori voce grates ageret. Ego quidem seu amore tam honorifici negotii, seu recusand verecundia, oblatum onus temere forsitan ac inconsideratè suscepero; te verò pro æquitate tua decet non tam interpretis Academici verba quàm ipsius Academiæ studium ac voluntatem intueri.

Post celebratas in Æde S... supplicationes Academicas, eucharistica oratio ad Pontificem.

INeptus sim, & præpostera loquacitate peccem, si tibi pluribus verbis grates referam, Venerande Pontifex. Nam cùm minimè decet solemnis hujusce supplicationis cæremoniam, quantò augustiorem, tantò fortasse, nisi tædium pietatis ardor vinceret, longiorem, insuper producere; tùm etiam qui animus erga te sit Academiæ totius, & quàm grata recordatione navatam à te suo nomine rebus sacris operam prosequatur, satis ipse, vel me tacente, intelligis. Unum est, quod si festinando prætermittam, neque muneri meo, neque verò voluntati publicæ faciam satis. Est hæc Illustrissimi Parisiensium Archiepiscopi propria laus, ut viros parœciis præficiat spectatæ virtutis, ratus videlicet, qualis pastor fuerit; talem & creditum Pastori gregem fore. Sed illud

verè mihi dicturus esse videor, nullam aliam Ecclesiam eo nomine plusquam hanc, optimo Præsuli debuisse. Hanc autem opinionem non ex incertis haustam rumoribus, sed ex ipsa re natam atque conceptam habere me, qui hujus parœciæ regimen noverint, fatebuntur. Hîc decens, si usquam aliàs, sacrorum cultus; hîc crebræ & vividæ, ad erudiendam in lege Domini plebem, conciones; hîc diversis temporibus, pro sexuum & ætatum varietate, seclusa ab reliquorum hominum commercio, ad excitandam fovendamque pietatem, comitia; hîc felices populi suam in litteras sacras venerationem, eas piè & religiosè tractando, testantur: tractando autem dico; eas hîc pueri puellæque, propositis ad instigandum præmiis, memoriter ad verbum vernaculè ediscunt, & certis anni temporibus, in hujus templi luce, in frequenti faventium ac stupentium hominum cœtu, alii Evangelia universa, alii Apostolorum epistolas, alii alia

veteris ac novi Testamenti loca ingenti animorum certamine recitant. Nimirum intelligit bonus Pastor commissas sibi oves in optima statim pascua deducendas esse; intelligit illa semina teneris commissa mentibus, ubi cum ætate adoleverint, maturam aliquando esse pietatis Christianæ frugem allatura. Postremò hîc mille artes reperit, in mille se figuras vertit ingeniosa sollicitudo, ut egeni subleventur, ægri recreentur, omnes in religionis studio magis ac magis inflammentur: quibus rebus ulteriùs commemorandis supersedeo, ne cùm multò pauciora dixero, quàm res ipsa postulat, plura tamen dixisse videar, quàm & loci verecundia & temporis angustiæ concedunt. Addam illud tantùm, preces hodie nostras vim procul dubio habuisse ad ea quæ poscimus impetranda efficaciorem, quæ cum ejusmodi hominum precibus sociatæ fuerint atque confusæ.

EPISTOLA

De ave Indica gratias agens.

TEMPERARE mihi non possum quin totus penè adhuc illius Indicæ volucris adipe madidus ac nitens grates tibi de integro referam, ejusque non jam præceptam oculis, ut nuper, sed exploratam gustu bonitatem attester. O delicatam escam, dignamque quæ vel regales mensas oneraret! O saporem nunc quoque bene memori palato suavissimè blandientem! Quàm dispar hæc avis ab reliquis id genus pullastris fuit! Harum nervosa caro gutturi plerumque responsat, nec nisi acri dentium tritu subigitur. Illa mollis & tenera, vix expectatâ malarum impressione, in ore ultro liquescebat. Facessat jam ille tam ab Horatio celebratus Ionicus attagen.

Illum ego præ hac alite Normanica fatuum juraverim. Ut paucis omnia complectar, scire te velim toto prandio, quod satis diu productum est, unum fuisse inter litteratos homines de ave nostra sermonem. Alius prodigiosam illius molem mirabundus extollebat; neque avem esse hanc, sed ovem potius affirmabat: alius nidorem eximium totis naribus avidè trahens exclamabat, ô suavem halitum! Alius fretus certiore palati judicio nullum se aiebat unquam lautius ferculum gustasse, idque omnes re multo efficaciùs quàm verbis comprobabant. En laudes omnium consensu in tuum munus congestas; quas non remittere tibi, hominis esse duxi vel inertis, vel ingrati. Fruere illâ qualicumque tam exquisiti obsonii usurâ, & quoniam illius succo tua te liberalitas fraudavit, saltem regustata beneficii tui voluptate pascere. Vale.

ALIA AD EUMDEM

Ob novum munusculum.

ETsi novo munere tuo nihil elegantius esse potest aut dulcius; tamen, quoniam perfecisti ut grates tibi rependere non liceret impunè; statueram primò nihil ad te litterarum rescribere, ne benignitatem tuam non tam commendare viderer, quàm provocare. Deinde succurrit, turpe esse, ubi ipsa res accipiatur, accipiendæ conditionem recusare. Itaque hoc quoque ad te memoris animi pignus mittendum esse existimavi, ob illa eximia poma, quæ amica seu delicatorum, seu, ut quidam volunt, piorum stomachorum manus ita saccarò aliisque medicamentis temperavit, ut tamen nativum illum saporem etiam alienis mensibus retineant. Cæterum scire te oportet iniquè admodum inter nos istud certamen compara-

tum esse. Te enim apparet habere domi refertam & inexhaustam omnigenarum deliciarum penum; mihi tenuis admodum & maligna ingenii ac latinitatis vena suppetit. Esto igitur: hæc quoque bellaria miseris, quæ residuum in dentibus, ut aiunt, ex illa immani volucre adipem abstergerent. In posterum consulas velim magis, si non tuis commodis, at saltem pudori meo. Vale.



CLARISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO

NICOLAO BOILEAU DESPREAUX,

Cùm in Ædibus BELLOVACIS, *ubi olim litteris humanioribus operam dedit, prandio exciperetur, die* XII. *Decembris anno Domini* M. DCC. I.

ODE.

QUI plurimo urbem defricuit sale,
Qui bella dixit ludicra, Vatibus
Præcepta qui seris reliquit,
Æmulus ille Poëta Flacci;

Io! BOLÆUS Bellovacam Domum,
Musis amicus quam coluit puer,
Subire dignatur vocatus,
Nec tenuem facilis recusat

Conviva mensam. Quis mihi splendido
Largè reponet ligna foco super?
Adeste. Lances, cantharique,
Munda Viro niteat suppellex.

Dulcem elaboret simplicior cibus
Olli saporem: ne macilentior
Extans superbo mentiatur
Gallus avem teneram catino.

Adustus alvum ne gracilem offerat
Palumbus: acri ne male pertinax
Gallina responset palato,
Néve gravem det oliva odorem.

Vates ineptos ludere quàm vafer,
Insulsa risu spargere tam bonus
Convivia, explorat severo
Idem epulas numerosque gustu.

Tuque ô, Remensi quæ domitum tegis
Prælo racemum, nobilis Amphora,
Ne parce prandenti BOLÆO
Fundere limpidiora vina.

Non ille, quanquam grandia Principis
Facta ordinat, te negliget horridus.
Quin impetus addes calenti
Magnum ad opus generosiores.



CLAR. DOCTISSIMOQUE VIRO
NICOLAO BOILEAU DESPREAUX,

Ob acceptum ab eo nuper operum suorum volumen.

HENDECASYLLABI.

VERSUS extuderam tibi, BOLÆE,
Paucos, illepidos, inelegantes,
Quales dura mihi rudisque partu
Vix Musa ediderat laborioso.
Hos tamen, positâ severitate,
Laudaras facilis, bonusque: credo
Furtivis quoniam tui nitebant
Horatî spoliis, coloribusque.
Hoc eram pretio satis beatus:
Optabam nihil ampliùs, mihíque
Illo ex tempore grandior videbar,
Cui venisset honos eodem ab ore,
Quó jacent Baviique, Mæviique:
Quo seros LODOIX apud nepotes
Vivet per memores perenne fastos.
Hoc eram pretio satis beatus.
At tu, non sat habes, BOLÆE, laudum
Munus ore dedisse liberali,
Dextrâ ni cumules benignitatem.
Munus præterea novum remittis:

Pro paucis, studioribusque, multo
Conditos sale, splendidosque versus:
Quales vel fidicen lyræ Latinæ
Flaccus invideat tibi, Maróque
Fœtum haud degenerem lubens adoptet.
Munus accipio tuum, Poëta
Dignum principe, quo nec ipse majus
Largiri, pretiosiusve posses,
Nec vellem. Accipio aureum libellum,
Laureâ meliorem Apollinari,
Mentis divitias tuæ exerentem,
Mentis delicias meæ futurum.
Illum & murice vestiam superbo, &
Splendere aureolis jubebo guttis:
Illum ostendere singulis juvabit
Et jactantiùs explicare amicis.
Addam illi comites Maronem, Homerum,
Dilectos comites, Horatiumque,
Et quicumque boni fuere Vates:
Inscribamque, mihi qûod esse possit
Æterno decori, *Dedit BOLÆUS.*



IN TEMPESTATEM

Quæ Angliam & Bataviam fœdè vexavit, cùm CAROLUS ARCHIDUX AUSTRIACUS *transitum in Lusitaniam pararet,*

ODE.

NAM quos tumultus parturit impio
Sicamber ausu? quò properat? truces
Ad littus horresco frementis
Oceani volitare turmas.

Jam sylva densarum ardua puppium
Prætexit oras: cornua jam strepunt,
Dudùmque ventos explicata
Carbasus increpitat morantes.

Classem in patentes advocat Angliæ
Vicina portus. Dum loquor, alite
Laxatur infaustâ, & minaci
Præcipit Hesperiam volatu.

Huc, summe Regnantum ultor, ades: feros
Retunde præsens, tu potes, impetus;
Ipsumque in auctorem, PHILIPPO
Quod struit exitium, retorque.

Quanquam ô! negati quem rapit impotens
Cupido sceptri, Carole, dum licet,
Invade portum. Cur procaci
Ludibrium dare quæris Austro?

G v

En turbulentis alta tumescere
Pulsata ventis incipiunt freta:
En mugit horrendum, & nigranti
Incubat Oceano procella.

Quacumque nubes detonuit, crepat
Antenna, rupti dissiliunt sinus,
Æstúque vincuntur carinæ
Æquoris imperiosioris.

Adeste: vos hæc, vos, Batavi, petunt
Portenta: ab alto littore navium
Spectate passim naufragarum
Sparsa salo fluitare membra.

Portu-ne in ipso (proh dolor!) Indico
Sub sole merces, tam procul ab domo
Perire quæsitas, maríque
Addere divitias avaro!

Ite, & stupenti ferte Braganti
Refusa moles oppositas vada
Stravisse, & immani feraces
Diluvio populasse campos.

Narrate ab imis oppida sedibus
Revulsa latè: quo sonitu ferox
Concussa fatalem repentè
Anglia contremuit ruinam.

Et sunt Tonantis qui vigili negent
Avum & Nepotem numine protegi,
Armata quando præliantur
Sacrilegos elementa in hostes!

REGI PROAVO,

Cùm M. FRANCISCUS GUERIN, Rhetoricæ Professor, recentem Serenissimi BRITANNIÆ DUCIS ortum publicâ Oratione celebraret in Collegio Dormano-Bellovaco,

CARMEN.

ERGO inter longi miracula cætera Regni;
Hæc etiam, LODOIX, etiam hæc te fata manebant,
Ut titulos centum insignes, & grandia adeptus
Magni, Pacifici, Victoris nomina, quondam
Patris, Avi, Proavi dulcissima nomina ferres,
Et Regum & Patrum fortunatissimus idem!

Nam quid in immensum Regni finesque decusque
Auxisse: innumeros latè quid fortibus armis
Profuerat domuisse hostes, nisi plurimus hæres
Nominis Imperiique futura in secula honorem
Astrueret tantorum operum, patriæque salutem?
Vidimus ancipites quantus modò mœror Iberos
Obrueret; quanta arrectas suspenderet urbes
Formido, vacuâ dum Carolus æger in Aulâ
Nullum in spes tantas hæredem assurgere, & unum
Cerneret Imperio finem viræque futurum.
Nam nisi succedat fato meliore Philippus,
Distracto gemeres, miseranda Hispania, Regno.

Nempe omni soboles dum rustica pullulat agro,
Sordidulique strepunt circum magalia nati;
Sæpe superborum laqueata palatia Regum,
Ostentant pompam illa quidem, famulosque frequentes;
Prolem in conspectu nullam: prolem ipsa requirunt
Tecta; carent tenero Patris cognomine Reges,
Inter opes magnas inopes. At parte beatus
Hac etiam, vincis numerosâ stirpe potentes
Regum aulas, LODOICE, casas quoque vincis agrestes.
Regali è solio, fulgor quod plurimus ambit,
Natorum natos gaudens, natosque Nepotum
Sensim accrescentes longo circùm ordine cernis.
Sic ubi supremo veris jam tempore surgit
Lilium, & ex summâ caulis cervice superbum
Ostentat caput; hinc atque hinc de stirpe eodem
Plurima luxuriant paulatim lilia: jamque
Candentem foliorum alia explicuêre coronam,
Vix alia è viridi se gemmea cortice trudunt.
Fas mihi magnanimæ penitus sacraria mentis
Rimari, & tacitos, LODOIX, deprendere motus.
Quis tibi sensus erat, cupidas cùm lætus ad aures
Nuntius advenit, partus instare propinquos?
Ast ubi vitales Puer hausit Regius auras:
Tum verò erumpens, imóque in corde teneri
Lætitia indocilis toto se prodidit ore.
Continuò, neque enim pietas consistere mentem
Passa diu, sacri properans ad limina Templi,
Summe Deus, nutu versas qui cuncta potente,
Tu mihi Gallorum moliri sceptra dedisti;

Tu conjuratas nequicquam, & dira frementes
Sæpe attrivisti populos; tu prole feraci
Gallica Borboniis firmasti Regna: recenti
Nunc etiam cumulas ultrò tot munera partu.
Unum oro, si quos pro Relligione labores
Suscepi, tenerum Pietas bene fingat Alumnum.
Sit tuus: atque illum si quando ad sceptra vocâris,
Et patriam, & sacras ante omnia protegat Aras.

Hæc ait, & dulces repetens, sua gaudia, cunas,
Spectare Infantem arridens, regalibus ulnis
Versare, & vultu, armatæ quem sæpe phalanges
Contremuere, labris blanda oscula ferre tenellis.
Tempus erit, postquam robusta accesserit ætas,
Cùm neque jam risus Juvenem, nec blanda juvabunt
Oscula; at illecebris captum melioribus, atque
Ardua anhelantem magnorum ad facta Parentum,
Regnandi notas ritè informabit ad artes.

Tu quoque, surgentem Proavus dum voce magistrâ
Erudiet faustis Puerum in penetralibus, ampli
Muneris in partem venies, patrióque docebis
Exemplo, BURGUNDE PARENS: hoc namque vocari
Nomine amas. Ille, quanquam nova gloria in armis
Pertentat mirâ sensus dulcedine, partas
Non dubites mutare ad Rheni littora lauros,
Horrida ubi, duce te, Brisâci mœnia nuper
Procubuêre: ubi te Magni sensêre Nepotem
Germanus Gallusque. At enim quid prælia demens
Attingo? ah! Pueri somnos abrumpere dulces,
Et primæ vixdum patientes lucis iniquo
Armorum fulgore nefas perstringere ocellos.

ILLUSTRISSIMO

SUPREMI SENATUS PRINCIPI

LUDOVICO LE PELETIER

Collegium Dormano-Bellovacum,

Quod in ejus tutelâ est, gratulatur.

ODE.

NEMPE exerebant jam tumidum caput
Frausque & scelesti Rixa Doli soror,
Mœstam ut per Urbem fama sparsit
Grande sacri columen Senatûs.

HARLÆUM honores exuere infulæ, &
Duris redemtum mille laboribus
Spectare secessum, peracto
Emeritam stadio quietem.

Dormana luxit pressa metu Domus;
Luxêre & Artes, Mater & Artium:
Tremente vix dextrâ caducam
Sustinuit Themis ægrà lancem;

Dixitque casu percita lugubri:
Nam cur Achillem præripis, invida
Ætas, avaræ fraudis hostem
Indomitum, patriosque firmum

Ritus tueri pectore aheneo;
Promptum efficaci præsidio reos
Levare mœstos, & vel ipso
Crimina terrificare nutu?

At nunc querelis pone modum tuis,
Astræa; votis pone, Academia:
Jubente scandit LUDOVICO
PELTERIUS viduum Tribunal.

Olli capacis vis quoque consilî
Matura, prudens rerum animus, fides
Experta jamdudum, arduísque
Ingenium patiens laboris.

Non ille canos, non sapientiam
Rugis verendam tristibus attulit
Ad munus augustum: sed ævo
Mens viget in viridi senilis.

Custode legum PELTERIO, improbam,
Ut antè, vindex pœna licentiam
Frænabit: haud flectent severas
Gratia divitiæque lances.

Alto sedebit dum solio arbiter,
Majus Tonantis judicium tremet;
Quo fonte derivatur omnis
In populos hominum potestas.

Ingens parentis quondam Academiæ
Alumnus, at nunc & decus & parens,
Præsente certabit jacentes
Auxilio recreare Musas.

Immensô in amplam fœnore scilicet
Crêvere frugem grandia quæ puer
Virtutis excepit futuræ
Semina; nec vigilis fefellit

Mendace fundo spes avidas Patris.
Faustam ille prolis sedulus indolem
Fingebat: ut gaudet tenellos
Regia avis trepidante pennâ

Fovere pullos; mox tenues docet
Tentare nisus: nec mora, tramite
Miratur insueto propinquos
Sideribus penetrare nimbos.

Et nunc beato tutus in otio
Carusque Regi, fulget honoribus
Intaminatis, dum superbos
Spernere amat titulos honorum.

Latere quamvis gestiat, hunc comes
Quocumque plebis prosequitur favor,
Cùm magna tractaret, probatum
In miseros animi paterni.

Et tu, citato laudis iter gradu
Calcans, amabis tu quoque, PELTERI,
Placere dum Regi laboras,
Plebis amor patriæque dici.

Te jura longùm Gallica vindice;
Te nostra longùm Patre Academia;
Longùm Camœnæ te potenti
Bellovacæ vigeant Patrono.

ILLUSTRISSIMO VIRO DOM. D.

LE PELETIER

REGNI ADMINISTRO,

Quærela convictorum Collegii Dormano-Bellovaci, quòd, cùm nuper in Collegium venisset, repentè abiit, quo tempore ad ei acclamandum è cubiculis suis advolarent: initio Mai 1710.

HEU! cur præcipiti citatus axe
Nostro protinus avolas Lycæo,
Et tuos avidam videre vultus
Frustrare immiserabilis juventam?
Cur plausus refugis tibi paratos,
Quos nec illecebrosa spes vacandi,
Æstus nec puerilis exprimebat,
Ast amor veneratione mixtus,
Virtutis meritum tuæ tributum?
Nam te nos quoque novimus, nec aures
Nostras effugis, ut fugis videri.
Est qui cerea gestiens honesto
Pectora incoquere, haud semel modestum
PELTERI ingenium, piosque mores,
Doctrinæ studium elegantioris,

Doctrinæ & studium sacratioris,
Nobis commemoret, manum & benignam, &
Prolis sollicitudinem educandæ,
Et quæ plurima vidit ipse quondam,
Et quæ plurima sensit ipse quondam.

Miris ergo animus modis avebat
PELTERI propius videre vultus,
PELTERI propius stupere vultus,
Atque explere oculos diu videndo,
Atque explere animos diu stupendo;
Verum exis rapido citatus axe, &
Voti jam prope compotem sub ipso
Durus articulo effugis juventam.

Nostros (vel pueri satis videmus)
Clamores metuis, nimis modestus,
Et plausus refugis tibi paratos,
Vivat, vivat IO; perenne vivat
Quo non vivere dignior sit ullus.
Sed nil proficies tamen, nec, ora
Si claudis juvenum, manus tenebis.
Si mutire nefas, licet fideli
Clamores tacitos arare chartâ,
Spe nullâ elicitos vacationis;
Quosque audire negas, tibi legendos
Istinc rure tuo exhibere plausus,
Vivat, vivat IO; perenne vivat
Quo non vivere dignior sit ullus.

VINUM BURGUNDUM.

ODE.

TESTA, Burgundo gravidam liquore,
Quam Jocus circumvolat, & nitenti
Sanitas vultu rubicunda, & insons
Risus, Amorque:

Te canam fandi celebrem magistram,
Tu potes tardos homines docere,
Improbus quos vix labor eruditas
Fingat ad artes.

Te fugit nigrâ truculenta fronte
Cura. Quos urgens rigidis Egestas
Obligat vinclis, tua, vi potentes,
Pocula solvunt.

Anxio surgit cibus apparatu;
Docta sed frustra manus elaborat
Splendidis dulcem dapibus saporem,
Ni comes adsis.

Nam suum Rhemi licèt usque Bacchum
Jactitent; æstu petulans jocoso
Hic quidem fervet cyathis, & aurâ
Limpidus acri

Vellicat nares avidas; venenum
At latet: multos facies fefellit.

Hic tamen mensam modico secundam
Munere spargat.

Tu senum nutrix querulos benigno
Lacte titillas, refovesque alumnos.
Ut valens per te redit in caduca
Membra juventa!

Vatis effœtam-malè si reliquit
Igneus mentem calor, atque vena
Ingenî, dives modò quæ fluebat,
Si pigra torpet:

Tu Caballino melior fluento
Suscitas Musam residem, & vigentes
Spiritus, grandique pares cothurno
Fortior afflas.

Quid ciet dirum, tuba rauca bellum?
Plus scyphi prosunt. Ferus inde miles
Hauriat robur: peritura siccus
Vix trahit arma.

Sed datum Marti satis est cruento.
Aptior ludis simul & choreis
Evoca lentam, bona Testa, fausto
Nectare pacem.

Nunc beant unctas tua dona cœnas:
Mox & in pagis resupina pubes
Tædium belli tibi tradet amplis
Mergere sulkis.

Noxio lædat ſtomacum Lyæo
Præla quem paſſim ſubigunt, racemus;
Hic gravet nervos, caput angat ille
Perfidus hoſpes:

Tu ſubis nervis capitique ſana;
Nec levat triſtes medicina morbos,
Ut latex pellit tuus, innocentis
Filius uvæ.

Somnus averſâ fugitivus alâ
Nil preces curat levis obſtinatas:
Fuderis rorem, revolabit imbre
Udus amico.

At verecundi violare leges
Liberi nobis ſcelus eſto; téque
Speret haud æquam tua qui protervè
Munera tractat.

Perge vitali, pia Teſta, ſucco
Principis corpus vegetum tueri,
Salva quo ſalvo bene temnat omnes
Gallia caſus.

Vina ſic, quæ fert ubicumque tellus,
Victa decedant tibi, regiæque
Audias menſæ decus, & ſalutis
Optima cuſtos.

BENIGNUS GRENAN *Burgundus,*
Humanitatis Profeſſor in Harcurio.

CAMPANIA VINDICATA,

Sive laus Vini Remensis à Poëtâ Burgundo eleganter quidem, sed immeritò culpati.

ODE.

HUc te, Remensi nata solo, tui
Poscunt honores, nobilis Amphora:
Adesto; Campanoque vires
Adde novas animosa Vati.

Men' gratus error ludit, an intimis
Gliscens medullis insinuat calor;
Venísque conceptus sonantes
Se liquor in numeros resolvit?

Quantùm superbas Vitis, humi licèt
Prorepat, anteït fructibus arbores;
Tantùm, orbe quæ toto premuntur,
Vina super generosiora

Remense surgit. Cedite Massica
Cantata Flacco Silleriis; neque
Chio remixtum certet audax
Collibus Aïacis Falernum.

Cornis micanti concolor ut vitro
Latex in auras, gemmeus aspici,
Scintillet exultim; utque dulces
Naribus illecebras propinet

Succi latentis proditor halitus;
Ut spuma motu lactea turbido
. Crystallinum blando repente
Cum fremitu reparet nitorem?

Non hæc inerti, non malè fervido
Sapore peccant pocula: nectare
Tam blandiuntur delicato,
Quàm liquido placuêre vultu.

Non hæc, malignus quidlibet obstrepat
Livor, nocentes dissimulant dolos
Leni veneno. Vina certant
Ingenuos retinere Gentis

Campana mores. Non stomacho movent
Ægro tumultum; non gravidum caput
Fuligine infestant opacâ:
Didita sed facili per omnes

Flexus meatu, nec mala renibus
Tristis relinquunt semina calculi;
Nec pœnitendâ segniores
Articulos hebetant podagrâ.

Ergo ut secundis (parcere nam decet
Raro liquori) se comitem addidit
Mensis renidens Testa; frontem,
Arbitra lætitiæ, resolvit

Austeriorum. Tunc cyathos juvat
Siccare molles: tunc hilaris jocos
Conviva fundit liberales;
Tunc procul alterius valere

Viles Lyæi relliquias jubet
Fastidiosus. Non meritas tamen
Burgunda laudes invidebo,
Testa, tibi; modò, te secundâ,

Regnet Remensis. Tu reficis gravi
Exsucca morbo corpora; languido
Tu rore solaris caducam
Mitior & resoves Senectam.

Nam quòd severas eluis efficax
Curas: quòd addis robora militi;
Hoc & popinis hausta passim
Vappa sibi decus arrogabit.

Vos, ô Britanni (fœdera nunc sinunt
Incœpta Pacis) dissociabilem
Tranate pontum. Quid cruento
Perdere opes juvat usque Marte?

Lætis Remensem quàm satius fuit
Stipare Bacchum navibus; & domum
Auferre funestis trophæis
Exuvias pretiosiores!

At, qui procaci carmine munera
Campana vellit, Neustriaco miser
Limo, vel acri fæce guttur
Yvriaci recreet rubelli.

Offerebat Civitati Remensi CAROLUS COFFIN, *Remensis, Humanitatis Professor in Collegio Dormano-Bellovaco. Anno Domini M. DCC. XII.*

AD CLARISSIMUM VIRUM GUIDONEM-CRESCENTIUM FAGON,

Regi à Secretioribus Consiliis, Archiatrorum Comitem,

Ut suam Burgundo Vino præstantiam adversus Campanum Vinum asserat.

HENDECASYLLABI.

SUMME Pæoniæ Magister artis,
Cui se Gallia tota debet, ex quo
Rex debet vegetam tibi salutem;
Burgundus tibi supplicem libellum
Huc affert Bromius. Vides ut olli
Se summittere, turgidosque fasces
Rhemensis neget arroganter Uva.
Illam compta cohors beatulorum
Stipant; hanc miserè colunt, in unâ
Defixi faciunt beatitates.
Illam præterea ferociorem
Reddunt commoda non putanda parvi,
Si se contineat: color vel ipso
Pellucens mage, puriorque vitro;
Subtilis sapor, & vibrante flammâ

Obtusum licèt, atque iners palatum
Efficax pupugisse: odorque, qualem
Quisquis nare semel bibat sagaci,
Illum combibat usque & usque odorem;
Nec se sit potis abstinere ab illo.
Hæc tot commoda non putanda parvi
Rivalem faciunt ferociorem.
Hinc inversa scyphis tumet, fremitque;
Spumasque agglomerat furore mixtas,
Æstuans, levis, inquies, proterva.
Quin & exacuit fero liquore
Vatem in nos animosior; sonantes
Imò se in numeros loquax resolvit:
Ut, Testam indocilis pati tot annos
Mensarum dominam elegantiorum,
Testam deprimeret procax, novamque
Fronti splendidulæ adderet coronam.
Et jam turgida futili triumpho,
Cuppis luxurians in ebriosis,
Gemmarum segetem micantiorum
Per convivia lætiora jactat.
Jam caput sibi, quotquot orbe toto
Nascuntur, generosiora vina
Inclinare latex jubet tyrannus.
Nil posthac tibi proderit, Falernum,
Magnus quòd fidicen lyræ Latinæ
Te plectro haud imitabili sacravit,
Et latè dedit imperare vinis.
En sceptrum Uva tibi rapit superba;
Rex olim, imperio novi Poetæ

Nunc plebecula vilis, hanc adorat.
Nil nostro quoque proderit Lyæo
Quòd dulci utile mitior maritat.
Ipse & Silleriæ jubetur Uvæ
Mensarum dominam elegantiorum,
Pronam advolvere, subditamque Testam.
Quid? vultu ille nitens benigniori,
An sub limpidulo colore mendax
Celat toxica; blandiensque tortor,
Mordaci stomachum exedit veneno?
Annè adulterat impios liquores
Calculus comes, & comes podagra;
Turba & fertilis innatat malorum?
Rivalem exprimat hæc imago Vitem.
Ergo, Pæoniæ Magister artis,
Burgundus tibi se, suosque honores
Commendat Bromius, rogatque contra
Audaces numeros, modosque, largæ
Quos vix pulmo animæ capax anhelet;
Contra & delicias beatulorum,
Ut linguam sibi commodes patronam,
Compescasque animos ferocis Uvæ.
Hoc se jurè suo rogare censet,
Si lenis tibi semper atque faustus
Aspersit calices modestiores:
Si judex satis indicavit usus,
Rivalem ut bonitate vincit Uvam.
Quamquam, te moderante, sanitatem
Regis si fovet innocente succo;
Regis, cujus adhuc virens senectus

Integræ nihil invidet juventæ;
Quid grandes numeros, modosve curet?
Quid fastum metuat beatulorum,
Et fastidia delicatulorum?
Hoc erit titulo satis beatus.

BENIGNUS GRENAN, *Burgundus, Professor Humanitatis in Harcurio.*



DECRETUM MEDICÆ

Apud insulam Coon FACULTATIS, super Poëticâ Lite Campanum inter & Burgundum Vinum ortâ,

Post editum à Poëta Burgundo libellum supplicem.

IAMBI.

QUANDO ad Tribunal se stitit nostrum reus
Burgundus ille Bromius, & nobis suos
Supplex honores asserendos tradidit,
Mœrente voltu, voce lacrumabili:
Æquum'st relicti solitudinem Senis
Respicere, probris vindicare ab omnibus,
Latamque misero velle, quâ fas est, opem.

Olli Remensis scilicet tristem notam
Inussit Amphora, ausa quæ nuper fuit
Fastu insolenti & latice lymphatum impio
Vatem sonantes mittere in versus furens;
Quo læta defensore volitat, ebriis
Blandum vaporem naribus passim ingerens,
Gemmasque jactat & decus crystallinum,
Tetricamque Burgundi indolem ridens Senis,
Ait lagenarum esse jocondissima.

Sed & nocere sanitati se nihil,
Decreta contra, proh scelus! Machaonum,
Contraque Coï oraculum haud fallax Senis,
Effutit impudenter, Usu judice.
Quæ si ferantur ulteriùs, heu! jam omnia
Sus déque verti seriùs lugebimus,
Nec quidquam inausum temeritas linquet procax.

Ergo ut misello Supplici fiat satis,
Novæque fræna dentur ut licentiæ,
Priùs nocivâ quàm malum invaleat morâ,
Censet salubris Archiatrorum cohors
Hoc sanciundum comitiis solemnibus.

Volt fama constet sarta tecta Supplici,
Qualem omne semper Æsculapium genus,
Autore Coo, asseruit olli firmiter.
Eluito curas igitur, ut prius, Senex
Burgundus ille; pauperi addito cornua;
Resides ad arma acuito milites potens:
Liquore miti accersito somnos leves,
Musamque vividus excitato torpidam:
Regnato mensis unus. Alma sic comes
Hygiæa febres corpore avortat malas,
Longosque præsens det potirier dies.

Jam quod Remensis Amphoram spectat soli;
Pœnas oportet arrogantiæ luat,
Idque orbe toto cognitum oppido fiet;
Alias ut olim comprimat metus Amphoræ.

Nunc ergo cœnis exulato ab omnibus:
Molli vetatur delicatum vellere

Guttur salivâ : niteat illâ liquidior
Neustriacus iste limus ; illâ suaviùs
Titillet haustus dolio Yvriaco latex :
Olfacere quisquis improbam audebit, statim
In hunc (perito quippe sic placitum Choro)
Ultrix Podagra, & Calculus tortor ruat,
Fluorque ventris teter, & capitis dolor,
Et faucium importuna strangulatio,
Et lenta Phthisis, & tota Morborum cohors :
Nec, cùm jacebit lectulo affixus, gemens,
Divæ experitor Artis efficaciam.
Quin ista serpat ad animum contagio :
Et mente tardâ, pingui & ingenio fiet,
Bæota quale terra parturit pecus :
Vel quale Belgica procreat cervisia.

Ast qui nefandis versibus tutarier
Ausu'st protervam, toxico illius miser
Proluitor usque & usque ; nec domet sitim.
Si quando carmen cudere incipiet novum,
Frigescat olli vena pejus marmore ;
Et invenustos durus extundat modos,
Vix Mæviorum stulto adoptandos gregi.

Jubetor autem charta sceleris conscia,
Inepta charta, prohibiti fautrix meri,
(Ne se elegantem fortè & egregiam putet)
In vestiundis pharmacis putrescere.

Datum in Insulâ Coô, anno 4. Olymp. 91.
C. C. R. Facultatis Scriba.

VILELMI PALINODIA,

Cùm ille vinum Vincellæum quod apud Corinum deprimere ac calumniari solitus erat, apud Stobæum, sub Altivillerii vini nomine oblatum, eodem Corino præsente, miris laudibus extolleret.

HENDECASYLLABI.

NUNC nunc, Testa animos decet resumas
Vincellæa novos, novosque fastus.
Antehac vix licuit tibi sub auras
Prodire, & nitidam explicare frontem,
Postquam triste tibi probrum, notamque
Turpem noster inusserat Vilelmus,
Gustu non imitabili Vilelmus,
Vina judice tam bonus palato
Internoscere, quàm sagax inanis
Fallaces sophiæ expedire tricas,
Et sophismata cæca disputantum
Ingenî face dissipare multâ.

Nequidquam eximio liquore fœta,
Leni, limpidulo, aureo liquore,
Digno Pontificum liquore cœnis,
Multorum tibi te parasse amores,
Multorum meruisse te favores.

Gaudebas: tibi deerat hæc tot inter
Laudantum decora æstimator unus,
Gustu non imitabili Vilelmus,
Quo suffragia mille, mille plausus,
Mille encomia deteruntur uno.

Mensis nempe ubi cœperas secundis
Burgundam melior fugare Testam;
Dum blando fremitu hospitum corona
Te, te lætitiæ arbitram salutant;
Dum te nare avidâ bibunt, amantque
Scyphos carpere delicatiores;
Hic te degeneri increpabat unus
Uvâ & languidulo scatere succo
Vultu tetricus & supinus aure.
Illo judice, nil tibi ipsa Vappa,
Nil vel Neustricus invidebat humor.
Sic ludibria per probrosa centum,
Et fastidia per superba centum
Te traducere pertinax amabat
Gustu non imitabili Vilelmus.

At nunc, Testa animos decet resumas
Vincellæa novos, novosque fastus.
Idem quas tibi durus aggerabat,
Nunc ignominias recantat ultro.

Lautas, more suo, elegans amicis
Affatim obtulerat dapes Stobæus,
Vina & multa notæ beatioris.
Postquam exempta fames, jubet repostam,
Mensæ delicias, adesse Testam.

Vincellæa, venis, tuumque cautus
Hostis dissimulas timore nomen.
Mentiris lepidâ utilìque fraude
Altivillerii soli lagenam,
Adstantum haud sine consciâ coronâ:
Sic gratam meditaris ultionem,
Sic nostro insidias struis Vilelmo.

Nec te spes tua scilicet fefellit.
Vix fusus cyathis latex refulsit,
Latas admovet usque & usque nares,
Et suavem trahit halitum usque & usque.
Spumantem impiger haurit inde cuppam,
Quam dulcedine clamat insolenti
(Tantum proh! valuit dies locusque,
Mutatumque tibi, lagena, nomen)
Titillare suum ac beare guttur.
En germanus, ait, (quis hoc negârit?)
Sincerusque sapor Remensis uvæ;
Non mî imponere quamlibet peritus,
Falsum aut dicere possit audeatve.
Vincellæa procul facesse Testa,
Languens flaccidulo liquore, Testa,
Cum tuo procul hinc abi Corino.
Sat nos ille diu tuo immerentes
Vili proluit atque inerte succo,
Jactator proprii arrogans Lyæi:
Te tantùm hæc supereminet, myricas
Cedrus quantùm humiles superba vincit.

Adstantum interea cohorti cachinnos.

Doli conscia tollit innocentis,
Erroremque jocis procax refellit.
Indocti arguitur reus palati
Gustu non imitabili Vilelmus.

Ergo, Testa animos decet resumat
Vincellæa novos, novosque fastus.
Idem quas tibi durus aggerabat
(Tantum proh! valuit dies locusque
Mutatumque tibi, lagena, nomen)
Nunc ignominias recantat ultro.



EPIGRAMMATA

A Convictoribus Collegii Dormano-Bellovaci oblata

ILLUSTRISSIMIS VIRIS

L. ANTONIO DE NOAILLES

S. R. E. CARDINALI,

ET

J. ANTONIO DE MESMES,

SUPREMI SENATUS PRINCIPI,

Cùm utroque præsente, LUDOVICO XV. nuper inaugurato Panegyricus diceretur; die 20 Januarii, anno Domini 1723.

EMINENTISSIMO CARDINALI.

LIMINA dignaris dum nostra subire, videtur
  Religio nostras ipsa subire domos.
Perstringat multorum oculos quæ corpore toto
  Purpureæ radiat grande decus trabeæ:
Candida, quæ toto resplendet in ordine vitæ,
  Demulcet pietas pectora nostra magis.
Nempe addunt multis insignia munera honorem;
  Muneribus celsis adjicis ipse decus.
Felix, cui talis contingit Pastor, ovile!
  Pastorem felix servet ovile diu.

J. ANTONIO DE MESMES,

SUPREMI SENATUS PRINCIPI,

PRIMO COLLEGII ADMINISTRO.

QUALIS in excelso majestas corpore! quantum
Se se oculis, quantum prodit in ore decus!
MEMMIADEM agnosco: generoso sanguine cretum
Hæc frons, hic habitus, formàque tota probat.
At vis ingenii, at facundæ gratia linguæ,
MEMMIADEM virtus at magis ipsa probat.
Felix, Patrono quæ sese jactat eodem,
Curia quo gaudet Principe, nostra Domus!
Ostentent aliæ patrum decora alta suorum:
Hanc clarat MEMMI nomen amorque satis.



IPSI SUPREMÆ CURIÆ,

Sub cujus tutela est Collegium Dormano-Bellovacum,

Cùm eidem Orationi plùrimi Præsides Infulati, ac Senatores, cum Quatuor-Viris Regiis adessent.

NON tectis splendet Dormana Palæstra superbis,
Non situ assurgunt atria celsa novo;
Doctrinæ sed enim pueris morumque Magistra,
Sat, Proceres, Vobis unde probetur, habet.
Quamquam, si titulos velit & præclara sonare
Nomina, nec tali nobilitate caret.
DORMANUS Pater est, quem summa insignia fasces *;
Quem Latiæ ornabat purpura sacra togæ:
Sed quid ego hæc? Nobis suprema est Curia Mater:
Hoc summi semper culmen honoris erit.

* *Le Cardinal de DORMANS, Fondateur du College de Beauvais, étoit Chancelier de France.*

ALIUD.

HUc alacres, Pueri, concurrite, spargite flores,
Festos lætitiæ deproperate sonos.
Scilicet augustus subit atria vestra verendæ
Antistes Themidis: quin subit ipsa Themis.
Illa Tribunali gaudet descendere, pronâ
Ut Sacri laudes Principis aure bibat:
Quas, vel celsa throno residens Veri Arbitra, Regi
Deberi laudes asserat ipsa Themis.




GRATIARUM ACTIO PRO VERSICULIS A CLARISSIMO VIRO D. COFFIN ACCEPTIS.

PARTUS ingenii beatiores,
Venæ divitias benignioris,
Cùm largus tibi detulit Bolæus;
De te non meruit parum Poëta.
Dedit carmina, quæ nec altus auri
Compenset cumulus, nec ullà gemma.
O quanti lepido valent nitore,
O quantum nitido placent lepore,
Auro pulchra magis, magisque gemmâ!
At ditescere non amas inemptis
Librorum titulis, opesque multas
Pro charta egregia rependis ultro:
Hinc debere nihil volens Bolæo,
Divino pretium paras Poëtæ;
Et te munificumque, divitemque,
Et solvendo parem cupis probare.
Quanquam ô! respuerit Poëta nummos,
Nec si tot numeres, quot astra cœlo,
Verè nomina dixeris soluta.
En novum reperis genus monetæ,
Mittis versiculos venustiores,

Gratæ pignora mentis, obsidesque,
Quales scribere gaudeat Catullus.
Nummis tam bene venditus videri
Haud possit liber, ut tuis videtur
Emptus versibus: hinc parem diserti
Gratiam meritis refers Bolæi!
O novæ eximium genus monetæ!
Legi non semel, at quater quaterque
Placentes numeros: legendo crevit
Mî desiderium; legam usque & usque,
Dilectosque memor sinu fovebo.
Mecum Rothomagum ibit, & redibit
Docta pagina: nomen ut silebo
Cossini, nitor & lepos loquentur;
O novæ eximium genus monetæ!
Quid pro versiculis dabo eruditis?
Adsit ô liber aureus: lubenter,
Cossine, obtulerim; at quid esse possit
Quod pro carminibus memor rependam,
Quæ tanti pretium fuere vatis?

DUMESNIL.



Responsio ad praecedentes versus.

DUM me carminibus tuis, Menille,
Laudas egregium bonus Poëtam,
Temet egregium ut probas Poëtam!
Quàm fluunt faciles tibi Phaleuci!
Nil politius elegantiusve est;
Nil magis redolet manum magistram.
Quid jam deesse meo potest honori?
Bene est. Obtuleram duplex Bolæo
Carmen; carminis utriusque tandem
Merces ampla mihi atque opima venit.
Prioris pretium, Bolæus ipse
Detulit, pretium alteri rependis:
Quid jam deesse meo potest honori?
Sed quid ipse tibi feram vicissim,
Mecum sollicitus diu revolvo.
O si par animo foret facultas,
Ut me munificum tibi probarem!
Nunc, cum effœta diu rigensque vena
Frustretur domini irritos vocatus,
Et proferre aliquid novi recuset,
Vetus pro pretio remitto carmen,
Tantum cui pretium dedit Bolæus.

EPIGRAMMATA

A Convictoribus Collegii Dormano-Bellovaci oblata Illustrissimo viro PORTAIL, Supremi Senatûs Principi,

Cùm illud Collegium suâ praesentiâ honestaret.

Quae te nostra dies subeuntem limina cernit,
Candidior nobis visa nitere dies.
Amplior ipsa sibi solito majorque videtur,
Quae tanto fruitur hospite, nostra domus.
Illam pauperibus pietas fundavit alumnis *,
Doctrinae sacras & reseravit opes.
Illam munifico semper dignata favore est,
Nuncque sibi propriam vindicat alma Themis.
Te quoque, te vigiles in nos extendere curas
Non pudet, & charae prolis habere loco.
Nam pater es : tibi dum fasces Themis aequa severos
Credidit, & nostrum credidit illa gregem,
Hoc decus, hic honor est ; tanti sub nominis umbra
Floreat in longos fausta palaestra dies.

* *Recitabat antiquior Collegii alumnus.*

ALIUD.

MUSARUM placidas sedes dum scandis, honores
Antiquos recolis deliciasque tuas.
Verùm illæ, quo tum delectabantur alumno,
Nunc decus agnoscunt præsidiumque suum.
Te blando puerum amplexu fovere, labrisque
Et Suada & Charites inseruere suis.
Nunc meminisse juvat: tanto pro munere gaudes
His amplas grato reddere corde vices.
Serta Viro, pueri, depromite: quem Themis ornat,
Huic quoque Palladiâ cingite fronde comas.

ALIUD.

AMISSOS gravibus luxit domus ista querelis
Quos Themidi eripuit sors inimica duces.
Luximus ante alios immiti funere raptum
Memmiadem, lachrymis nec modus ullus erat.
Grandia Portalides reparat sed damna: recepit
Ut Themis orba novum, sic domus ista Patrem.

ALIUD.

NOS quoque quos humili includit schola septima tecto,
Incomptos balbo fundimus ore sonos.

At teretes sermone rudi si offendimus aures,
Ignoscas; totum crimen amoris erit.
Exigua exigui molimur: at ampla voluntas
Exiguis pretium nisibus adjiciet.
Ergo etiam infantum graciles bonus excipe plausus;
Quos saltem expromit nescia lingua doli.

ALIUD.

SI quæras quis te coram se pusio sistat,
Qui vix balba rudis reddere verba potest,
Hunc tibi delegat schola septima: nos quoque honoris
Vectigal grato pendere corde juvat,
Et festos inter plausus, ut psittacus olim
Augusto, nostrum dicere χαῖρε tibi.

ALIUD.

HIc dum clamosis defessas litibus aures
Musarum alloquio te recreare juvat;
Argutos si inter videat strepere anser olores,
Stridula prætrepidans guttura rumpit amor.
Si quondam accedat vox cicnea, blandiùs aures
Mulcebit, sed non veriùs, illa tuas.

ALIUD.

MEÆ primitias latinitatis
Pridem lingua tibi tenella & infans
Blæso gestiit ore dedicare,
Cùm me vepribus asper & salebris
Horrens septimus erudiret ordo.
Sic implumis amat micare pennis,
Atque erumpere nidulo loquaci
Passer sole tepens benigniore.
Risisti bonus, & rudes, amoris,
Si fas, indicium, sonos probasti.
Nunc jam planior expeditiorque,
Jam quartæ mihi grandiore classis
Doctrinâ magis expolita lingua
Munus laudis avet magis politum,
Fructum & fundere gestit ampliorem.
At vanus puerum ecce ludit error:
Ipse si cupiat sua arte Rhetor
Dignos Portalio crepare plausus;
Blandâ si bene mista comitate
Majestas placidæ canenda frontis;
Si facundia, lacteumque venâ
Manans ubere, melleumque flumen;
Si veri cupida & tenax voluntas,
Ipse sit puer, ipse Rhetor infans.

*In solennitate vulgo dicta Paranymphica ad conjunctissimos fratres MM. G***.*

QUos unà sincerus amor naturâque jungit,
Carminibus nostris dissociare nefas.
Ludus at hinc omnis, procul hinc jocus omnis abesto;
Sorbona his gravius tota habet ipsa nihil.
Ambo pares doctrinâ, ambo virtute gemelli,
Ambo candore, & simplicitate pares.
Castor equis gaudebat, eodem natus ab ovo
Pugnis; at nostri non ita Gueretii.
Fraternis animis quidquid cupit alter & alter;
Russus quod negat hic, hoc etiam ille negat.
Quædam illis natura tamen discrimina fecit,
Sed queis fraternus nil minuatur amor.
Promptior est alter paulò, sedatior alter;
Non tamen hic tardus, non tamen ille procax.
Flaventi nitet hic, nigro riget ille capillo:
Vultum habet hic album, vultum habet ille nigrum.
Ne tamen Æthiopem vobis hîc fingite, qualem
Ad nostras mittunt Africa regna plagas.
Immensum Petasi ingentis si exceperis orbem,
Nil hic quo p[illegible]rrificentur habet.



INSCRIPTIONES.

In virginem, vulgò dictam Puellam Aurelianensem.

INclyta sic oculos, sic ora virago ferebat,
Gallorum eversas dum repararet opes.
Armatæ quod non acies potuere, faventis
Freta Dei auxilio præstitit illa manus.
Libertas Urbi, Regno lux redditur, Anglis
Exitium: tanti femina dux operis.

In SAMUELEM-BERNARD, Comitem Consistorianum.

HIc vir, hic est cujus vario in discrimine præsens
Experta auxilium Gallia sæpe fuit.
Mille per occultos terràque maríque meatus
In patriam externas deproperavit opes:
Non semel & fisci reparavit damna: gementis
Non semel & populi depulit ore famem.
Illum ergo titulis ultro Rex auxit [illegible]orum,
Cui sat erat *civis* gloria parta *bo*[illegible]



In ortum

In ortum nobilis pueruli qui primogenitus nescebatur Illustrissimo viro AUDOMARO JOLI DE FLEURY, Advocato Regis Catholico in Supremo Senatu.

CResce puer, soboles Floræo nomine digna:
Te quondam genitor cernat avusque patrem.

In R. P. MABILLON.

DOctrinâ magnus, magnus pietate, modestâ;
Quod stupeas, major simplicitate fuit.

In M. CAROLUM ROLLIN.

ILle est formandæ solers cupidusque juventæ,
Assiduus morum cultor & ingenii.
Vivus adhuc hominum volitat regnatque per ora,
Famæ idem testis spretor & ipse suæ.
Unica pertentat generosum gloria pectus,
Spargere doctrinæ quas cumulavit opes.

In clarissimum Poetam Ludovicum RACINE, Joannis Filium.

EN quem Relligio sibi vindicat unica vatem;
Cujus scripta velit vel pater esse sua.

EPICEDIUM

Illustrissimi viri COLBERT DE CROISSY.

HIC JACET

CAROLUS Colbert de Croissy,
Vir
Celsitudine animi, rerum prudentiâ, ingenii dexteritate
In patriæ natus commoda:
Juri dicundo, & civili regimini,
In variis Regni Provinciis
Præpositus;
Deinde in supremo senatu Parisiensi
Præses infulatus,
Amplissima togæ munera
Cum summa integritatis & abstinentiæ laude
Exercuit.
Legatus apud exteras gentes,
Ubique Gallici nominis jura famamque
Asseruit.
Pacem ad Aquisgranum, ad Neomagum,
Peritus animorum conciliator,
Composuit.
Missus in Bavariam
Delphini nuptias solemni pacto
Sancivit.
In sanctius Regni Consilium
A Ludovico Magno
Minister ascitus,

Gravissimorum negotiorum molem,
Pari in Regem fide, in populos caritate
Sustinuit.
Obiit die 28. Julii an. Domini 1696. ætatis 67.
Amantissimo marito sanctissima conjux
Francisca Beraud apposita est.

EPICEDIUM

M. Edmundi POURCHOT, *Syndici Universitatis.*

HIC JACET

EDMUNDUS Pourchot Senonensis,
Licentiatus in utroque jure,
Philosophiæ Professor
In Grassinæo primùm, deinde in Mazarinæo;
Universitatis non semel Rector,
Ejusdem per annos quadraginta Syndicus:
Vir
Sagaci ingenio, multiplici eruditione,
Acri in amicos, in patriam, in Religionem studio
Insignis:
Jurium Academicorum
Peritus idem ac strenuus vindex,
Christianæ pietatis cultor diligens:
Primus Scholarem Philosophiam,
Horridam antea & inaniter argutam
Nitidiore cultu donavit,
Et ad severas veri ac rationis leges
Ausus est revocare;

Cui labori in publicam lucem edito
Applausit litteratus orbis.
Annos vixit 84.
Egenis popularibus,
Primæ paupertatis memor,
Ut eorum studia promoveret,
Testamento consuluit.
Obiit die...

EPICEDIUM Illustrissimi Marchionis de GANDELU.

HIC JACET

LUDOVICUS Marchio de Gandelu,
Leonis de Gesvres Parisiorum Præfecti
Et Mariæ Franciscæ de Fontenay Moreil
Filius.
Is, & felici natus indole,
Et majorum exemplis incitatus,
Arma penè puer amplexus est.
Legionis Marinæ primùm Tribunus,
Deinde insigniorem imperandi gradum adeptus,
Mox Ponti-Audemero à Rege præfectus
Et toti oræ maritimæ in Neustriâ præpositus,
Brevi intervallo ingens gloriæ curriculum
Confecit.
In obsidine Oberkirkensis Castelli,
Dum immemor sui pro patria fortiter pugnat,
Gravi vulnere confossus est,
Ex quo paucos post dies immaturâ morte

Præreptus,
Acerbum apud omnes sui desiderium
Reliquit.

Epicedium Eminentissimi Cardinalis de NOAILLES.

HIC JACET,

UT testamento jussit,
Ludovicus Antonius de Noailles,
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis,
Archiepiscopus Parisiensis,
Commissi sibi gregis
Sollicitudine Pastor,
Caritate pater,
Sanctitate forma,
Bonis operibus exemplum.
Ecclesiam Parisiensem
Quam per annos 43 rexit,
Unicè dilexit ut sponsam;
Universalem
Piè ac reventer coluit ut matrem.
Domui suæ bene præpositus,
Familiam non exemplis minùs
Quàm verbis ordinavit,
In sermone verax, victu simplex,
In cultu modestus, in alloquio facilis,
In oratione assiduus, in eleemosynis profusus.
Inter gravissimas molestiarum procellas

Mitis ac pacificus.
Ejus munificentiam,
Si homines tacere possent,
Hujus basilicæ lapides clamarent.
Obiit bonis omnibus æternùm flebilis,
Die 7o. Maii an. Domini 1719.
Viro misericordi divinam misericordiam
Apprecare, Lector.

Epicedium M. Joannis VITTEMENT, *Propræceptoris Regii.*

HIC JACET

VIr omni virtutum ac doctrinæ genere excellens
Joannes VITTEMENT, Presbyter Suessionensis.
Dormani obscuro loco natus
Generis humilitatem ingenti splendore illustravit,
Translatus statim à puero Parisios,
In Collegio Dormano-Bellovaco
Alteram quasi patriam nactus est.
Ibi inter Bursarios adscriptus,
Industriâ duce, magistrâ paupertate,
Studiis quàm acriter, tam feliciter incubuit.
Mox ibidem Philosophiam docuit
Magnâ cum celebritate.
Evectus ad supremum Universitatis regimen,
Sub finem Rectoratûs
A magnifico meritorum æstimatore
Ludovico Magno,

Regiorum nepotum institutioni lector adjunctus est :
Quo toto tempore,
Quamvis in ipsâ aulâ aula lucem fugitaret,
Regi tamen, Principibus, omnibus aulicis
In amore & pretio fuit.
Secutus in Hispaniam alumnum Regem
Philippum quintum,
Eodem postea, quanquam invito, concedente,
Privatos apud Lutetiam lares lætus repetiit.
Inde post aliquot annos revocatus in Palatium,
Instituendæ Ludovici XV infantiæ
Admotus est Propræceptor.
Perfunctus augusto munere,
In desideratam diu solitudinem revolavit,
Uni Deo vacare certus.
Oblata non semel opima beneficia
Constanter recusavit,
Opum splendidè contemptor
Nisi quas in pauperes erogaret.
Diuturnos morbi, & senectutis angores
Legendo, precando, meditando lenift.
Ictus desiderio revisendæ Patriæ,
Dormani in graviorem morbum incidit;
Ibique partitus egenis ac præsertim popularibus suis
Quæ supererant opes,
In amatæ sinu paupertatis, quod optabat ipse,
Conquievit
Die XXXI. Augusti, an. 1731. ætatis 77°.

Epicedium Annæ Caroli GOISLARD, *in Supremo Senatu Consiliarii Regii.*

HIC JACET

ANNA Carolus Goislard,
Marci Annæ Goislard, Equitis, Baronis de Richebourg,
Domini de Monsabert, Tourcil &c.
Et Annæ Le Maître filius.
Vir patriæ carus
Quam consiliis adjuvit,
Virtutibus ornavit:
Regi acceptus
Cujus munificentiam expertus est:
In omni vitæ tenore æquabilis & constans sibi.
Regius primò in Castelletto Patronus,
Quid de se sperandum esset
Jam tum designavit.
Deinde in supremi Senatûs ordinem perhonorificè admissus,
Omnes absolûti judicis partes implevit.
Postremò ad regenda interioris regni negotia vocatus,
Eamdem ubique integritatis, innocentiæ, perspicaciæ famam
Obtinuit.
Uxorem duxit anno 1704 Ludovicam de Riantz,
Ex quâ liberos quatuor suscepit.
Bonis omnibus flebilis immaturâ morte
Occubuit,
21. Oct. anno 1733.

Epicedium CLAUDII-FRANCISCI BIDAL, MARCHIONIS D'ASFELD, Franciæ Marescalli,

In Æde S. Rochi nomine insignita.

HIC JACET

CLAUDIUS Franciscus Bidal Marchio d'Asfeld,
Sancti Ludovici & aurei Velleris ordinum
Eques Torquatus,
Franciæ Polemarchus,
Regni munitionum Præfectus:
Vir
Totius artis Bellicæ apprimè gnarus,
Disciplinæ militaris tenax,
In consulendo providus,
In exequendo fortis.
IN HISPANIAM
A Ludovico Magno missus Aurelio Duci legatus,
Complurium expugnatione urbium clarus,
Memorabilis præsertim ad Almansam victoriæ
Non ultimam laudem tulit:
Atque ob vindicatum armis Valentiæ Regnum,
Ejusdem Regni insigne
In scuto gentilitio gestandum
A Philippo V Hispaniarum Rege
Perhonorifico diplomate accepit.

I V

IN ITALIA

Multis illustribusque documentis
Eximii ducis famam sustinuit.

IN GERMANIA

Occiso ad Philippoburgum Imperatori Berwikio
Suffectus Imperaror,
Et in ipsis castris Polemarchus renuntiatus,
Cœptam urbis obsidionem impigrè promovit,
Eamque, exundante in immensum Rheno,
Concurrentibus undique Germanorum copiis,
Ipso, cum centum millibus, spectante Eugenio,
expugnavit.

IN OTIO

Viris probis & litteratis familiaris vixit.
Tot bellicas laudes, tot præclara in patriam merita
Christianis virtutibus consecravit.
Obiit die 5 Martii, anno Domini 1743. ætatis 78.



EPICEDIUM

Renati PUCELLE, in Supremo Senatu Consiliarii Regii,

In Æde S. Benedicti nomine insignita.

HIC JACET

RENATUS PUCELLE,
Subdiaconus Parisinus,
Abbas Commendatorius Monasterii
Sancti Leonardi Corbiniacensis,
In supremo Senatu Consiliarius,
Ad Conscientiæ Consilium,
Dum Rex Ludovicus XV minor esset,
Vocatus;
Vir
In longo vitæ curriculo
Nunquam dispar sibi,
Sine fuco religiosus,
Erga laborantes misericors & profusus,
Publici ac privati juris
Peritus æquè & retinens,
Veri justique, ut indagator sedulus,
Ita strenuus assertor:
Eloquio potens & animosus;
Celsam ingenii vim,
Generosum pectoris candorem,
Ingenuam morum urbanitatem,
Ipsa oris ac vultûs dignitate præferens;
Quem maturâ licèt,

Acerbâ tamen morte præreptum,
Senatus quem ornavit,
Cives quos demeruit,
Boni omnes quos dilexit,
Insolabiliter lugent.
Requiescat in pace.
Obiit anno æt. 90. die 7. Januarii 1745.



HYMNI SACRI.

AD LECTOREM.

OFfero tibi, Christiane Lector, contractos in unum corpus Hymnos novos, qui passim in recenti Breviario sparsi ac disjuncti pro vario temporum ac festorum discrimine collocantur. Invitus, fateor, ac prope coactus hunc laborem suscepi, cujus me non difficultas modò, sed sanctitas etiam ipsa terrebat. Cessi tamen verendæ, quæ me premebat, auctoritati: cessi religioso, quod profiteor, erga Parisiensem Ecclesiam studio; tandemque in animum induxi, si quid in me residuum facultatis esset, totum illud divini cultûs celebritati consecrare. In his porro scribendis Hymnis non tam poëtico indulgendum spiritui, quàm nitori & pietati consulendum esse existimavi. Pleraque igitur, argumentis convenientia, è purissimis Scripturæ Sacræ fontibus deprompsi, quæ idoneis Ecclesiæ cantui numeris alligarem. Quâ ratione illud me assecutum esse confido, ut Hymni nostri, si minus operis artificio, ipsius saltem materiæ pretio piis lectoribus approbentur. In Hymnis ferialibus eum semper spectavi scopum ad quem cujusque officii

mens ratióque dirigitur. Diurnarum horarum Hymnos, in quibusdam Breviariis aliquâ jam ex parte reformatos, nec non alios aliquot veteres, qui retinebantur, à me postulatum est non quidem ut incudi redderem, sed admotâ, ubi opus esset, limâ perpolirem, & ad severiores metri leges revocarem. Illos etiam, licèt non planè meos, in hoc volumen separatim inseri oportere visum est magnæ apud me auctoritatis viris, quorum ego voluntati parui. Præterea alios quosdam, à me jam antea diversis temporibus editos, ad calcem adjunxi; qui quidem locum sibi inter hos recentiores suo quodam fraternitatis jure vindicabant. Habes, candide Lector, totam instituti mei orationem: habes mei in re sacra laboris qualescumque fructus, utinam summo bonorum omnium auctori Deo acceptos! cui operam hanc omnem meam dico ac voveo.



DIE DOMINICA

AD NOCTURNUM OFFICIUM.

DIE dierum principe
Lux è tenebris eruta:
Christus sepulcri carcere,
Lux vera mundi, prodiit.
Et mors & horrendum chaos
Vocem jubentis audiunt:
Nos surdiores, ô pudor!
Deo pigeret obsequi?
Umbris sepulta dum stupet
Natura, lucis filii
Surgamus, & noctem piis
Exerceamus canticis.
Legem, prophetas, & sacros
Psalmos calentes lumine,
Profana dum silent loca,
Divina templa personent.
Cœlestis hæc vincat tuba
Cordis soporem languidi,
Novíque mores exprimant
Vitam resurgentis novam.
Hoc consequemur, te duce,
Fons caritatis, ô Deus,
Qui legis addis litteræ
Vitæ datorem Spiritum.

Sit laus Patri, laus Filio:
Par ſit tibi laus, Spiritus,
Afflante quo mentes ſacris
Lucent & ardent ignibus. Amen.

AD LAUDES MATUTINAS.

AD templa nos rurſus vocat
Surgentis auroræ nitor,
Novaſque pro læto monet
Referre grates munere.
At victor auroram ſuo
Fulgore Chriſtus obruit:
Huic, magna cujus pars ſumus,
Juvat triumpho plaudere.
Quòd evolutus faſciis
Repente mundus extitit,
Puro renidens lumine,
Virtutis hoc quantæ fuit!
Quòd traditum neci Pater,
Ut fontibus vitam daret,
Vitæ redonat Filium,
Amoris hoc quanti fuit!
Æternus ut rerum ſator
Aſpexit orbem protinus
Colore depictum ſuo,
Probavit excellens opus.
At lætius quanto obtulit
Seſe Patri ſpectaculum,
Cœleſtis agni candido

Ablutus orbis ſanguine !
  Cum luce nobis redditur
Mundi renaſcentis decor,
Occulta per quem Numinis
Mens ſurgit ad magnalia.
  At ſplendor æterni Patris,
Lumenque Chriſtus cordium,
Deum dat in ſe, quantus eſt,
Sub nube carnis cernere.
  Præſta, beata Trinitas,
Ut legis ad facem tuæ
Vitemus omne quod vetas,
Sectemur omne quod jubes. Amen.

AD VESPERAS.

O Luce qui mortalibus
Lates inacceſsâ, Deus;
Præſente quo ſancti tremunt
Nubuntque vultus Angeli:
  Hîc, ceu profundâ conditi
Demergimur caligine:
Æternus at noctem ſuo
Fulgore depellet dies.
  Hunc nempe nobis præparas,
Nobis reſervas hunc diem,
Quem vix adumbrat ſplendida
Flammantis aſtri claritas.
  Moraris heu! nimis diu,
Moraris, optatus dies:

Ut te fruamur, noxii
Linquenda moles corporis.
His cùm soluta vinculis
Mens evolarit, ô Deus,
Videre te, laudare te,
Amare te non desinet.
Ad omne nos apta bonum,
Fœcunda donis Trinitas:
Fac lucis usuræ brevi
Æterna succedat dies. Amen.

FERIA SECUNDA.

DEi canamus gloriam,
Cœlum secundo qui die
Expandit, admirabile
Mortalibus spectaculum.
Poli stupemus alveo
Stagnare pensiles lacus:
Hinc imbre terras fertili
Cœlestis irrorat Pater.
Quam præparas nobis, Deus,
Est hæc imago gratiæ:
Hæc rore stillans uberi
Cordis penetrat intima.
Hanc qui fideli combibunt
Aquam salubrem pectore,
In his ad æternas domos
Miro resultat impetu.
Beata gens, quam prodigâ

Ditare non cessas manu !
Amoris hæc memor tui
Amoris & reddat vices.
Deo Patri sit gloria ;
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
In sempiterna secula. Amen.

NIl laudibus nostris eges,
Sed filios amas, Pater ;
Multáque cœlestem prece
Vis provocari gratiam.
Tui profunda consili
Noctis canat silentium :
Tuæ jubar clementiæ
Splendor diei prædicat.
Tantis minor miraculis
Mens stupet, vox deficit :
Tacere sed totis nequit
Amor medullis æstuans.
Erumpat ergo : te memor
Clamet parentem, qui mala
Præsentis ævi mitigas,
Spondes futuri præmia.
Huc vota tendunt cordium ;
Infirma sed tardat caro :
Quæ ducit ad te da sequi,
Dux ipse Jesu, semitam. Amen.



JActamur heu quot fluctibus!
Spes una de cœlis nitet:
Illuc & ora tollimus,
Et mittimus suspiria.
Tu vota præcurris, Pater,
Magnamque protendis manum:
Jam fulta tanto robore
Surgit potens infirmitas.
Quæ sæva nos premunt mala
Vinces, malis potentior:
Te nostra duræ sentiet
Mens servitutis vindicem.
Quin vile corpus indues
Formâ resurgentis Dei:
At illa venalis patet
Multo labore gloria.
Felix labor quem recreas
Tam splendidâ rerum vice!
Fletu quis æternum brevi.
Neget pacisci gaudium?
Sit laus Patri, laus Filio:
Utrumque qui nectis, Deus
Utrique compar, sit tibi
Laus sempiterna, Spiritus. Amen.

FERIA TERTIA.

JUbes: &, in præceps aquis
Repente confluentibus,
Prodit sub auras humidis

rura velis Arida.

Hanc tu colendam qui tuis,
iter, dedisti filiis;
uos Orbis unus continet,
c una jungat caritas.

Nunc exulamus; sed tuam
ox congregabis in domum
: patre dignos, qui pio
nore fratres vixerint.

At, qui malignis artibus
nguisque lædunt proximum,
te repelles: hoc genus
elestis aula non capit.

En ipsa tellus improbos
idum laborans sustinet,
detque non suæ jugo
orruptionis eximi.

Adoptionem nos quoque
flagitamus integram,
ui nos sacrato Spiritus
ædestinavit pignore.

Æterna laus & gloria
ui sit & trino Deo,
ffusa per quem cordibus
aterna regnat caritas. Amen.

TE principem summo, Deus,
Jubes amore diligi:
bi secundum protinus
bes amari proximum.

Amore fundatam tuo
Communionem respice,
Quâ corpus unum plurimi,
Unum cor, una mens sumus.
Illam fides & veritas
Amabili stipant choro:
Obliquus hinc livor procul
Et litis ardor exulant.
Tu, pacis auctor, mutuos
Astringe nexus: da, Pater,
Gaudere fratrum gaudiis,
Da condolere fletibus.
Æterna laus & gloria
Uni sit & trino Deo,
Qui moris unius sacrâ
Nos pacis in domo locat. Amen.

O Quàm juvat fratres, Deus,
Unum quibus Christus caput
Vitale robur sufficit,
Uno moveri spiritu!
Quàm dulce laudes dicere
Unâ tibi cunctos domo,
Precumque ceu factâ manu
Inferre vim gratam tibi!
Hanc quisque diligat domum;
Hanc pace concors recreet:
Væ dira qui spargit malus
Dissensionum semina.
Sed damna cedunt in lucrum

Te, Christe, diligentibus :
Augent coronas prælia,
Prosuntque, dum nocent, mali.
Vox blanda sævit tristiùs,
Dum pectus incautum subit,
Lapsuque cæco dulcibus
Laudum venenis inficit.
Præsta, beata Trinitas,
Ut caritate mutua
Prosimus alter alteri;
Regnemus & polo simul. Amen

FERIA QUARTA.

MIramur, ô Deus, tuæ
Recens opus potentiæ,
Quæ scripta scintillantibus
Refulget astrorum globis.
Ut sol diei, candida
Sic luna nocti præsidet :
Exercitu totum novo
Discriminant stellæ polum.
At ipse, cœlorum decus,
Sol novit occasus suos :
Sunt certa lunæ tempora,
Statíque lapsus siderum.
Jugi rotata turbine
Furantur & reddunt diem :
Tu semper idem, nescius
Mortalium spem fallere.

Turbata quid mens fluctuet ?
Curâ paternâ nos regis :
Æterna si cordi salus,
Æterna nos salus manet.
Suprema laus & gloria
Uni sit & trino Deo,
Suo reponi qui jubet
Curas & angores sinu. Amen.

PRomittis, & servas datam
Immobilis fidem, Deus :
Hanc mane primo sedulâ
Reposcimus fidem prece.
Promittit atque decipit
Incertus & fallax homo :
Sic quassa, si incumbas super,
Arundo transfiget manum.
Beatus ergo qui tuo
Se totus abdit in sinu :
Hac arce tutum turbinis
Vis nulla de statu quatit.
Ne cor vacillet, obligas
Temet sacramento, Deus :
Spes nixa tanto pignore
Æterna jam prensat bona.
Jam mente præsumens polum,
Secura sublimi throno
Assistit, & cœlestium
Prælibat undas fluminum.
Fons ô perennis gratiæ,

Colenda semper Trinitas,
Te spem salutis unicam
Da mente tota quærere. Amen.

HOrres superbos; nec tuam
Das alteri laudem, Deus:
Humana nil isthinc sibi
Decerpat arrogantia.
Ingrata quippe mens tuæ
'luenta sistit gratiæ:
'ristíque marcescit statim
Seu gramen exustum siti.
Ut servus in manus heri
ıtenta figit lumina;
c ora sacris montibus
on dimovemus anxii.
Desideratam si dare
pem moraris; spes tamen,
enacis instar ancoræ,
ımota fundat pectora.
Sit summa Patri gloria,
: summa Nato, qui dedit
obis futuræ Spiritum
æreditatis obsidem. Amen.

FERIA QUINTA.

Isdem creati fluctibus
Pisces natant, volant aves:
rumque mortali genus

Paratur esca corpori.
  Menti sed æternæ cibus
Debetur alter : hæc Dei
Sermone vivit ; hanc fovet
Cœlestis & nutrit fides.
  Quæsita Christi sanguine
Manavit in terras fides,
Et impiarum pectora
Victrix subegit gentium.
  Fax illa, puris cordibus
Monstrare cœlos efficax,
Æterna dignis incitat
Factis mereri præmia.
  Sancti leonum per fidem
Mulsere rugitus ; truces
Fregere regnantum minas ;
Risere stridentes rogos.
  Hac luce signatum, Deus,
Calcare dona tramitem,
Et caritatis uberes
Fructus eundo carpere.
  Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc, & per omne seculum. Amen.

DIgnas quis, ô Deus, tibi
Laudes rependat, qui tuo
Pellis tenebras lumine,
Salutis & monstras viam ?

Tu, quam jubes, donas fidem:
Hæc cultui præest tuo;
Hæc mentis errores fugat;
Hæc corda sursum dirigit.
Te destituta Spiritu
Nil pompa sacrorum juvat;
Secreta puri blandiùs
Tibi litabunt pectoris.
Vox inde cordi consona
Vectigal exolvet suum,
Et ad salutem libero
Prometur ore veritas.
O qui superbos respuis,
Et simplices amas, Deus;
Ut crescat in nobis fides,
Cordis tumorem comprime.
Sit summa Patri gloria,
Sit summa Nato, qui fidem
Cruore fundavit suo:
Par sit tibi laus, Spiritus. Amen.

O Fortis, ô clemens Deus,
Salutis auctor, tu fidem
Nostris potenter insere,
Germen salutis, cordibus.
Hinc omne robur ducimus;
Hæc arma nobis; hoc manus
Protecta scuto, flammea
Retundet hostis spicula.
Hinc fundimus preces tibi

Sacri ſub umbrâ nominis,
Quo nititur ſpes omnium
Uno ſalutis pignore.
Placatus illo nomine
Labantibus feres opem,
Dabiſque ſanctam degener
Ne vita deturpet fidem.
Sit laus Patri, laus Filio:
Par ſit tibi laus, Spiritus,
Infuſa per quem cordibus
Relucet imis veritas. Amen.

FERIA SEXTA.

JAm ſanctius moves opus,
Tecum, Deus, deliberans:
Mundo recenti principem
Tibique præconem paras.
Homo creatur: hunc ſacro
Cœleſtis oris halitu
Succendis, & vivam tui
Spirare das imaginem.
Ergo per omnes æquoris,
Telluris omnes & ſinus
Regnabit: at memor ſui
Deo minorem ſe gerat.
Lugubris heu dementia!
Jugum rebellis excutit;
Deo ſuperbus nec timet
Æquare pulvis verticem.

Hinc quanta luctuum cohors
Incumbit orbi perdito !
O Christe, ni feras opem,
Spes tota sontes deserat.
Qui nos creavit, laus Patri;
Qui nos redemit, Filio;
Cujus movemur halitu,
Par sit tibi laus, Spiritus. Amen.

ULtricibus nos undique
Dum saucias telis, Deus,
Quis ferre, te præter, queat
Mœrentibus solatium ?
Mundus facessat : nil opis
Favore præstat futili :
Fallacibus quin asperat
Alitque fomentis malum.
Flagella nos terrent tua;
Non illa spem demunt tamen :
Quæ ferre nos jubes, Pater,
Fiunt medela vulnerum.
At impetus libidinum
Ferocientes comprime :
Hæc vera nos vexant mala,
Sanare quæ solus potes.
Quid ergo cessas ? ingruunt
Intus forisque prælia :
Hosti-ne præda mens erit
Christi redempta sanguine ?
Audis precantes : anxiæ

Spes blanda jam menti redit :
O Christe, tetros mors tua
Mortis pavores discutit.
Sit Trinitati gloria,
Quæ sic flagillis quos amat
Exercet, ut clementiæ
Rursum recordetur suæ. Ame

LUgete, pacis Angeli :
Mortalis en ultro Deus,
Culpæ gerens imaginem,
Pœnam nocentum sustinet.
Amoris ô miraculum !
O cordis humani stupor !
Insons Deus neci datur :
Pigebit & sontes pati !
Nos sempiternis crux tua
O Christe, flammis eruit :
Hîc ure vindex, hîc seca,
Parcas in æternum modo.
Caro reclamat ; sed Patris
Urget voluntas : nos tua
Virtute da fortes sequi,
Jesu, quod exemplo doces.
Livore sanatos tuo,
Tuóque lotos sanguine,
Peccando ne novam sinas
Parare nos tibi crucem.
Qui Filium tradit, Patri,
Natóque sit laus victimæ :

Par ſit tibi laus, qui ſacram
Succendis aram, Spiritus. Amen.

SABBATO.

TAndem peractis, ô Deus,
Sexto dierum limite,
Ponis modum laboribus,
Orbíque plaudis condito.
At, dum perenni ſeptimma
Lucem quieti conſecras,
En te repoſcit denuo
Alter creatorem labor.
Te cuncta nempe prædicant;
Te terra, pontus, ſidera,
Cantu celebrant æmulo:
Peccator unus diſſonat.
Tu pectus aufer ſaxeum;
Tu carneum pectus crea:
Et caritatis uberes
Fructus canent hymnum tibi.
Hæc te juvant præconia,
Si facta voci conſonent:
Sic efficaci flectitur
Divina majeſtas prece.
Æterna laus & gloria
Uni ſit & trino Deo,
Qui cuncta nutu condidit
Nutuque ſervat condita. Amen.

REru Creator omnium,
Nostros labores adjuva;
Ut casta Christi nomine
Nos vita dignos arguat.
Tu nempe sanctus & potens,
Placere das solus tibi;
Tu, legis auctor, das sequi
Quod lege præmonstras iter.
Cingunt iter pericula,
Tu lubricos firma pedes;
Et certiore fervidi
Pergemus ad metam gradu.
O meta felix, pax ubi
Et vera nos manet quies;
Ubi voluptatis sacro
Torrente potabis tuos!
Te mens, ô alma Trinitas,
Anhelat ardens, te sitit:
Tuâ redemptis gratiâ
Æterna redde præmia. Amen.

SUpreme motor cordium,
Tu sanctitatis frugibus
Justos ab orbe condito
Tenore ditas perpeti.
Hîc spes, fides & caritas
Dulci cohærent vinculo:
Præsentis ævi post diem
Manebit una caritas.

O caritas ! ô veritas !
) lux perennis ! en erit
ost tot labores, ut tuo
andem fruamur sabbato !
Hîc mille per discrimina
:men gementes spargimus :
lic ovante splendidam
estabimus messem manu.
Tu trine, tu potens Deus ;
ructus adauge quos petis :
[ox dona, justus arbiter,
œlo coronabis tua. Amen.

IN ADVENTU.

INstantis adventum Dei
Poscamus ardenti prece,
estisque munus inclytum
ræoccupemus canticis.
Æterna proles, feminæ
Non horret includi sinu ;
'it ipse servus ut jugo
Nos servitutis eximat.
Mansuetus & clemens venit ;
Occurre, festina, Sion :
Ultro tibi quam porrigit,
Ne dura pacem respuas.
Mox nube clarâ fulgurans
Mundi redibit arbiter,
Suíque membra corporis

Cœlo triumphator vehet.
Fœtus tenebrarum, die
Cedant propinquo crimina:
Adam reformetur vetus,
Imago ſuccedat novi.
Qui liberator advenis,
Fili, tibi laus maxima
Cum Patre & almo Spiritu
In ſempiterna ſecula. Amen.

JOrdanis oras prævia
Vox ecce Baptiſtæ quatit:
Præconis ad grandes ſonos
Ignavus abſcedat ſopor.
Auctoris adventum ſui
Tellus & æther & mare
Prægeſtiente ſentiunt
Et jam ſalutant gaudio.
Mundemus & nos pectora:
Deo propinquanti viam
Sternamus, & dignam domum
Tanto paremus hoſpiti.
Tu noſtra, tu, Jeſu, ſalus;
Tu robur & ſolatium:
Arens ut herba, te ſine
Mortale tabeſcit genus.
Ægris ſalutarem manum
Extende: proſtratos leva:
Oſtende vultum, jam ſuus
Mundo refloreſcet decor.

Qui liberator advenis,
Fili, tibi laus maxima
Cum Patre & almo Spiritu
In ſempiterna ſecula. Amen.

STatuta decreto Dei
Tandem propinquant tempora:
Emptus tot annorum morâ
Affulget è cœlo dies.
Patris nefando crimine
Proles jacebat ſaucia:
In mortis umbra conditum
Sedebat humanum genus.
Morti ſecundæ debitos
Et ſempiternis ignibus
Horrenda juſti Judicis
Manebat expectatio.
Heu! quis ruinæ tam gravis
Sarcire damna; quæ manus
Afferre tam grandi queat
Parem medelam vulneri?
Tu, Chriſte, tu ſolus tuo
Delapſus è throno Deus,
Imagini potes tuæ
Formam decuſque reddere.
Rorate, cœli, deſuper,
Juſtumque fœcundo ſinu
Complexa tellus, perdito
Orbi ſalutem germinet.
Sit ſempiterna laus tibi,

Verbum Patris factum caro,
Cum Patre cumque Spiritu,
Nunc & per omne seculum. Amen.

IN NATALI DOMINI.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

JAm desinant suspiria;
Audivit ex alto Deus:
Cœli patescunt; en adest
Promissa pax mortalibus.
Profunda noctis otia
Cœlestis abrumpit chorus;
Natumque festo carmine
Annuntiat terris Deum.
Specum sacratam pervigil,
Dum turba pastorum subit,
Eamus, & castis pia
Cunis feramus oscula.
At quale nobis panditur
Intrantibus spectaculum!
Præsepe, fœnum, fasciæ,
Parens inops, infans puer.
Tu-ne ille, Christe, filius,
Et splendor æterni Patris?
Illum-ne cerno qui levi
Orbem pugillo sustinet?
Sic est: verenda queis lates,

Fides penetrat nubila :
Agnoſco quem proni vident,
Tremunt, adorant Angeli.
Agis magiſtrum vel tacens :
Ex hac cathedra nos doces
Vitare quod carni placet,
Caro quod horret, perpeti.
Caſtos amores nutriens,
Sanans tumentes ſpiritus,
Divine, noſtris, ô Puer,
Præcordiis innaſcere.
Qui natus es de Virgine,
Jeſu, tibi ſit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu
In ſempiterna ſecula. Amen.

IN EPIPHANIA DOMINI.

QUæ ſtella ſole pulcrior
Coruſcat ? hæc Regis novi
Revelat ortus : hæc Dei
Præſignat ad cunas iter.
Stat vatibus priſcis fides :
En ſtella ſurgit ex Jacob :
Arrectus ad ſpectaculum
Eous orbis emicat.
Dum ſidus admonet foris,
Lux fulget intus clarior,
Suadetque vi blandâ Magos
Signi datorem quærere.

Segnes amor neſcit moras :
Labor, pericla nil movent :
Domum, propinquos, patriam,
Deo vocante, deſerunt.
Micante dum nos allicis,
O Chriſte, ſtellâ gratiæ ;
Ne tarda cœleſti ſinas
Obſtare corda lumini.
Qui lumen eſt, ſit laus Patri :
Qui ſe revelat Gentibus
Sit laus perennis Filio :
Par ſit tibi laus, Spiritus.

QUâ lapſu tacito ſtella loquacibus
Scintillat radiis, huc oculis Magi,
Huc deſideriis, huc rapidis ſimul
Certant tendere paſſibus.
Ut ventum Solymam, non ſine Numine
Lætam ſtella facem, proh dolor! occulit ;
Incertoſque viæ, ceu medio vagam
Curſu deſtituit ratem.
Illi, nil rabiem principis, invidas
Nil artes veriti (tanta animis fides!)
Urbis per trepidæ compita prædicant
Regem quærere ſe novum.
Nec vos irrita ſpes decipiet, Magi ;
Quò divina vocat pagina, tendite :
Illic, quem ſua plebs reſpuit, exteris
Regem noſſe Deum datur.
Sit laus ſumma Patri, ſummaque Filio ;

Amborum sit idem Spiritui decus,
Qui, dum stella pedes prævia dirigit,
Dux mentem melior monet.

LInquunt tecta Magi principis urbis;
Et parvæ cupidis mœnia Bethlem
Votis præcipiunt; jamque sub imo
Spe subnixa fides corde triumphat.
O qui lætitiæ sensus, ut illis
Signans rursus iter stella refulsit,
Incumbensque domo lampade pronâ
Infantem exhibuit matris in ulnis!
Non hîc splendet ebur, non micat aurum;
Non velat rutilans purpura corpus:
Horrens hîc stabulum, regia; nudum
Hîc præsepe, thronus; purpura, panni.
Reges pompa alios dives adornet:
Regnantem meliùs se probat ipse
In vili palea, paupere cultu,
Flectens imperio corda potenti.
Ad cunas humiles, poplite curvo,
Præsens in Puero numen adorant:
Et nos ad Puerum, digna propago,
Patrum plena fide corda feramus.
Regi castus amor porrigat aurum;
Castigata homini corpora, myrrham;
Instar thuris erunt vota precesque:
Illo thure Deum ritè fatemur.
Qui fons luminis est, gloria Patri:
Qui miro recreas lumine Gentes,

Æqualis tibi sit gloria, Nate:
Amborum similis laus sit Amori.

HUc vos, ô miseri: surda relinquite,
Quæ cæci colitis, mutáque numina:
Se vobis aperit splendida Civitas,
Veri Numinis hospita.
En vestræ præeunt primitiæ Magi:
Vatum dicta patent: exitialibus
Errorum tenebris obsita gens diu
Miro lumine spargitur.
Ambo sic populi, dissociabilis
Quos dudum paries separat, unicum
In corpus coeunt. Hoc proprium modo
Ambobus maneat decus!
O arcana Dei consilia! ô tuo
Deturbata gradu, primus amor Dei,
Plebs Judæa, tuis gloria gentium
Damnis, vitáque nascitur.
Jam nativa oleæ brachia decidunt;
Rami degeneres, germen adulterum;
Miraturque novos semine non suo
Arbor crescere surculos.
Nos radix oleæ sustinet. Ah! cave,
Qui stas, ne sterili deficias fide.
Tu ramos veteres insere denuo,
Tu serva, Deus, insitos.
Qui nos membra sacri corporis efficit,
Sit laus summa Patri: laus quoque Filio,
Cujus membra sumus: quo vigor influit
Membris, laus tibi, Spiritus.

A SEPTUAGESIMA

ad Quadragesimam.

TE læta, mundi conditor,
Unum manet semper quies:
Festiva cœlestes choros
Semper decent præconia.
Nos, sanctitate perditâ,
Pœnalis expectat labor:
Hymnos-ne dulces patriæ
Mœsti canamus exules?
Qui te piis placabilem
Spondes futurum fletibus,
Lugere da longi, Pater,
Delicta causas exilî.
Verùm salûbrem temperet
Spe nixa mœrorem fides:
Tu mox quieti nos tuæ,
Lætisque reddes canticis.
Sit summa Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu
Nunc & per omne seculum. Amen.

REbus creatis nil egens,
Temet beatus, nunc tuo
Prodis ab arcano, Deus,

Mundóque das primordia.
Tu cuncta quæ non sunt vocas,
Et illa se sistunt tibi;
Miróque concentu, suo
Dant conditori gloriam.
At, mundus è sinu tuo
Dum prodit aspectabilis,
Augustiorem cogitas
Mundum, creator, alterum.
Illum Redemptor artifex
Virtutibus condet suis,
Sparsóque terris omnibus
Verbi potentis semine.
Illum peractis seculis
Cœlo locabit; & throni
Mensæque consortem suæ
Deo redonabit Patri.
Utrique mundo qui præes,
Utrumque conserva, Pater:
Utrumque, Fili, dirige:
Utrumque, Flamen, consecra. Amen.

QUi nos creas solus, Pater,
De pristino lapsos statu
Non solus instauras: simul
Nostros labores exigis.
Delicta pœnitentibus
Clemens relaxas: improbos
Vocas morantes, & viam
Erroris urges linquere.

Scelus remordet, intimo
ctus dolore ſcinditur :
toris & partes Dei
ercet in ſemet nocens.
Vitare plagas admonet
grè recepta ſanitas,
arctiorem ſenſuum
ortatur ad cuſtodiam.
Divina non ſcrutabilis
altitudo conſilî !
: vel malorum providus
lucis è ſinu bona.
At obſtinatis vindicem
am reſervas : mergitur
eleſtus orbis : unicus
oë ſuperſtes effugit.
Hic præco pœnitentiæ,
ovi ſequeſter fœderis,
rvator orbis & parens,
hriſti figuram prætulit.
Sit laus Patri, laus Filio :
trumque qui nectis, Deus,
trique compar, ſit tibi
aus ſempiterna, Spiritus. Amen.

VOs, ante Chriſti tempora,
Chriſti fideles aſſeclæ,
erenda juſtorum cohors,
rimíque credentûm Patres :
Veſtram quis ô dignis queat

Efferre laudibus fidem ?
Crebros anhelantis ſpei
Quis explicet ſuſpiritus ?
Hìc exules, hìc advenæ,
Mundi figuram ſpernitis :
Non litterâ, ſed ſpiritu
Promiſſa penſatis bona.
Intenta mens uni Deo
Reſpectat æternas domos :
Fac, Chriſte, nos veram quoque
Deſiderare patriam.
Sit laus Patri, laus Filio :
Utrumque qui nectis, Deus
Utrique compar, ſit tibi
Laus ſempiterna, Spiritus. Amen.

TEMPORE PASSIONIS.

FAndo quis audivit ? Dei
Quis grande dicat brachium ?
Perculſa mens confunditur :
Stupet fides, vox deficit.
Ab orbe, Jeſu, condito
Occiſus Agnus, nunc Patri
Priſcis adumbratam ſacris
Ardes litare victimam.
At cur humi ſtratus jaces ?
Quis iſte mœrentis pavor ?
Quis iſte, qui toto fluit
Sudor cruentus corpore ?

Hunc vis doloris exprimit,
Horrorque teter criminum :
Vices nocentûm sustinens,
Iram reformidas Patris.
Te terret objectus calix ;
At ille, ni totum bibas,
Per sempiterna nos manet
Exhauriendus secula.
Vincet pavorem caritas ;
Vincet voluntas patria :
Temet potestati, Deus,
Tradis tenebrarum volens.
Et jam flagellis, ictibus,
Ludibriis, spinis, cruci,
Piacularis hostia,
Voves adorandum caput.
Qui Filium tradit, Patri,
Natóque sit laus victimæ :
Par sit tibi laus, qui sacram
Succendis aram, Spiritus.

OPprobriis, Jesu, satur,
Ligni fatiscens pondere,
Ferale, verus Isaac,
Mactandus ascendis jugum.
Clavis statim trabalibus
Fixus manus, fixus pedes,
Sublime terris omnibus
Attolleris spectaculum.
In nos, ô æterni Patris

Incomprehensa caritas !
Insons cruentæ Filius
Pro sontibus morti datur.
Illo lavari sanguine
Oportuit mundi scelus ;
Talem severa Numinis
Poscebat ira victimam.
Crux debitæ nos vinculo
Damnationis eximit ;
Et pacis æterno ligat
Terras polumque fœdere.
Qui Filium tradit, Patri,
Natóque sit laus victimæ :
Par sit tibi laus, qui sacram
Succendis aram, Spiritus.

DUm, Christe, confixus cruci
Agis supremos spiritus,
Fas nos salubri figere
Intenta ligno lumina.
Anguis veneno perfidi
Inflicta nobis vulnera,
Pendentis è celsa trabe
Sanabit aspectus Dei
Hîc nos olympo parturis ;
Hîc martyres formas tuos ;
Hîc ultimo sanctam fidem
Fundas amoris pignore.
Hinc cuncta terrarum, suo
Regnator ut sedens throno,

nque protensæ manûs
ute divinâ trahis.
Nos ergo cœlestis thronum
is adire gratiæ,
lemque complexos crucis
o rigari sanguine.
O spes salutis omnium,
ux, vera mundi gloria,
ixa semper hæreas
iisque regnes cordibus.
Qui Filium tradit, Patr,
atóque sit laus victimæ:
ir sit tibi laus, qui sacram
iccendis aram, Spiritus.

IN ASCENSIONE DOMINI,

OPus peregisti tuum:
Te, Christe, victorem necis,
Eterna, quam reliqueras,
Cœlo reposcit gloria.
Jam nube vectus fulgidâ,
Terras jacentes despicis:
Educta longo carcere
Regem sequuntur agmina.
Mirante turmâ cœlitum,
Panduntur æternæ fores,
Ovansque sublimem Patris
Homo Deus scandis thronum
Illic patronus, pontifex,

Pacis sequester, quem tua
Semel profudit caritas,
Offerre pergis sanguinem.
Illinc adornas & foves
Ecclesiam sponsus tuam,
Cunctisque vitam dividis,
Infusa ceu mens artubus.
Hlinc, tot inter prælia
Periclitantem sustines,
Das militanti vincere,
Palmam triumphanti paras.
Quò, Christe, præcedis caput,
Huc integrum corpus vocas:
Vestigiis tritam tuis
Fac membra sectentur viam.
Qui victor ad cœlum redis,
Jesu, tibi sit gloria,
Cum Patre, cumque Spiritu
In sempiterna secula.

IN DIE PENTECOSTES.

VEni, superne Spiritus:
Purgata Christi sanguine,
Tuíque terra jam capax
Expandit arentes sinus.
Christi petentis æthera
Exolve promissam fidem;
Et nostra præsens igneo
Munda la vacro pectora.

Lugentes

Lugemus amissum Patrem:
noſtra tangat orbitas:
are mœſtos, anxiis
m redde, qui ſolus potes.
Docere quæ Chriſtus rudes
dens alumnos diſtulit,
c præparatis inſere
vus magiſter mentibus.
Olim per umbras vatibus
tecta paucis veritas,
nc orbe toto diſſitis
te pateſcat gentibus.
Divina jam nos unctio
ormet omnes: hactenus
tis aratam litteris
ribe legem cordibus.
it laus Patri, laus Filio:
umque qui nectis, Deus
ique compar, ſit tibi
us perenne, Spiritus.

Nter ſulphurei fulgura turbinis,
Flammarumque globos, & ſonitum tubæ,
iquam veteri, monte Sinâ ſuper,
Legem das populo, Deus.
His infida probas corda pavoribus,
peccare vetas, aut pretium mori:
ùm terribiles, quid parient minæ?
Quò tantus recidet tremor?
In fumantis adhuc montis ad infima

Plebs oblita datam continuò fidem,
Brutam perfida plebs effigiem colit,
Veri Numinis in locum.
Heu! mens nostra, Deus, te sine nil potest:
Lucem prome animis; cordis aheneam
Molli duritiem; redde, potes, Deus,
Voci nos dociles tuæ.
Sit laus summa Patri, summáque Filio:
Sit par, alme, tibi laus quoque, Spiritus;
Per quem legis amor cordibus insitus
Dat quod lex jubet exequi.

AUdimur: almo Spiritus
Descendit è sinu Patris,
Ægrisque fert mortalibus
Promissa cœli munera.
Quot proditur miraculis
Præsentis adventus Dei!
Jam tota sublimi domus
Repentè flatu personat.
Puro caducus æthere,
Candentis ad linguæ modum,
In considentum verticem
Ignitus imber depluit.
Quæ flamma summas alluit
Innoxio tactu comas,
Hæc glíscit arcanis simul
In pectus & mentem viis.
Stupente turbâ gentium
Linguis loquuntur omnibus;

Vatum crepant oracula:
Quidquid profantur, ignis est.
Inter profandum, Spiritus
In audientes irruit;
Instincta quo passim nova
Surgit Prophetarum seges.
Sit laus Patri, laus Filio:
Par sit tibi laus, Spiritus,
Afflante quo mentes sacris
Lucent & ardent ignibus.

Quò vos Magistri gloria, quò salus
Invitat orbis, sancta cohors, novam
Portate legem: vos reposcit,
Prima seges, pia cura fratrum.
Proh! quanta messis protinus extitit!
Ter mille verbum concipiunt viri:
Deóque maturante, reddunt
Multiplicem, bona terra, fructum.
Compuncta passim pectora fletibus
Mœrent amaris, atque piaculo
Ardent salutaris lavacri
Præteritas abolere labes.
At non Hebræis limitus sacer
Hærebit ardor. Sol habitiabiles
Quà lustrat oras, hàc triumphis
Materies patet ampla vestris.
Jam mille divûm templa solo ruunt:
Cedit superbæ vis sapientiæ;
Cedunt tyranni: victa cedit

Carnificum rabies furentum.
Novum potentis gratia Spiritûs
Creavit orbem : nos quoque, nos tuæ
Succendat ardor caritatis,
Alme Deus, renovetque totos.
Sit summa patri, summaque Filio :
Sit, sancte, compar laus tibi, Spiritus;
Quo dura mitescunt, novasque
Concipiunt pia corda flammas.

IN CONCEPTIONE
ET
Nativitate B. Mariæ Virginis.

DEbitam morti sobolem crearat
Eva peccatrix : nova destinatur,
Quæ sacro partu scelus atque mortem
Destruat, Eva.
Victa serpentis fuit illa fraude;
Intimis virus recipit medullis :
Vulnus hæc sanat, tumidíque colla
Conterit anguis.
Quò dolus cessit? domitâ parente
Totius sperat sobolis ruinam :
Omnibus reddet Soboles parentis
Una salutem.
Sic lucro cedunt, Domino volente,
Damna, dum gratâ vice per Mariam

Delet antiquam nova vita mortem,
Gratia culpam.
Diceris mater quoque nostra, Virgo;
Te proba nostram, pia Virgo, matrem,
Efficax blandis precibus severum
Flectere Numen.
Laus sit æternæ sua Trinitati,
Quæ laborantem miserata mundum,
Proximos Christi, præeunte matre,
Nuntiat ortus.

LÆtis terra sonet plausibus; huic Dei
Mater Virgo datur: munere quo nova
Se rerum facies protinus exerit;
Mundo pax redit aurea.
Hæc est illa domus, quâ Deus advena
In terris habitat, digna Deo domus,
Templum grande, sibi quod propriâ manu
Summus condidit artifex.
Aureis arca vetus fulserit undique
Scintillans radiis: hæc vacuas decent
Umbras: interior Numinis ipsius
Arcam nobilitas decet.
Non hîc manna latet, legifer aut lapis,
Non ramus sterilis: flos viget hîc ferax
Virtutum; sacer hîc panis, homo Deus;
Hîc legis residet dator.
Sit laus summa Patri, summáque Filio:
Amborum sit idem Spiritui decus,

Arcanis habilem qui thalamum modis
Christo præparat hospiti.

MOrtale cælo tolle genus caput:
En noctis horror desiit; en jubar
Nascentis auroræ propinquum
Admonuit properare Solem.
Sacro tumentes germine jam polus
Terras amicis imbribus irrigat:
De stirpe Jesse virga surgit,
Conspicuum paritura florem.
Cœlestis illum gratia Spiritûs
Inunget: illi Justitia & Fides,
Timorque castus, Veritasque
Et Pietas comites præibunt.
Hunc ergo, quem tot secla fidelibus
Votis anhelant, quem misero Deus
Promisit orbi, spem salutis,
Accelera, pia Virgo, fructum.
Sit Trinitati perpetuum decus,
Inflicta mundo quæ miserans mala,
In matre pignus nascituri
Non dubium dat habere Christi. Amen.

UNus bonorum fons, Deus, omnium,
Quàm liberali fundis opes manu!
Non antè concessis Mariam
Quot properas cumulare donis!
Inter rigentes cen rosa clauditur

Spinas, & acres vincit aculeos;
Præsens amaram virulenti
Gratia vim fruticis retundit.
Quantùm pudicas inclita virgines
Præstat, remoto quæ dominam gradu
Sequuntur, & Regis parentem
Sidereâ comitantur aulâ!
Nec Angelorum par decus: hi Deo
Astant sedenti; fert hominem Deum
Maria, nomen dulce matris
Virgineo socians honori.
Regina mundi virgo, clientium
Tutela, mœstis perfugium reis,
Fer nostra Nato vota: tristem
Non patitur genitrix repulsam.
Sit Trinitati perpetuum decus
Inflicta mundo quæ miserans mala,
In matre pignus nascituri
Non dubium dat habere Christi.

IN PONTIFICATU S. PETRI.

INconcussa tuo, summe Deus, paras
Fundamenta operi: non tamen eligis
Pollentes opibus, non celebres vocas
Claris stemmatibus viros.
Petro divitiæ cymba; labor mare:
Gentes innumeras hic subigit tamen;
Et qui navigium piscibus anteà,
Orbem Christiadis replet.

Tu, nullius opis scilicet indigus,
Unus cuncta potens vis simul & facis:
Uti debilibus te juvat; infimis
Gaudes ardua vincere.
Sit laus summa Patri, summáque Filio;
Amborum sit idem Spiritui decus,
Per quem, Christe, tuam vox hominum crucem
Terris extulit omnibus. Amen.

SAcri senatûs, Petre, caput; gregis
Verende pastor; grande tuæ decus
Dum prædicamus dignitatis,
Fer supeto pia vota Regi.
Christo vocanti promptus ades; ratem
Tu deserendo deseris omnia:
Temet relinquis, pauperíque
Non dubitas comes ire pauper.
Cœlestis intus te Pater addocet:
Hinc voce certâ progenitum Deo
Parente Christum confiteris,
Ingenito símilem Parenti.
Nunc ergo Petro nomen erit tibi:
Innixa petram quam super ardua
Fundatur ædes Veritatis,
Tartareas domitura portas.
Dum, Christe, Patri nos quoque te parem
Cantamus, auge quam tribuis fidem:
Infunde sacrum, quo vigemus,
Pectoribus, Deus alme, Flamen, Amen.

PRome commissas tibi, Petre, claves:
(Nam tibi tradit sua jura Christus)
Quæ polum claudunt, scelerum, precamur,
Vincula solve.

Prima te sedes Orientis oris
Extulit: cunas ibi Christianum
Obtinet nomen: simul inde toto
Spargitur orbe.

Roma mox sortis melioris hæres;
Extitit mundi fideique centrum,
Quam tuo, Pastor pariterque martyr,
Sanguine claras.

Qui fidem Petro stabilem rogasti,
Ne sinas, Jesu, titubare nostram:
Vita fac concors fidei sit omen
Dulce salutis.

Lætus æternum celebret Parentem
Orbis; æternum celebret Parentis
Filium: par sit tibi laus per omne,
Spiritus, ævum.

IN PRÆSENTATIONE DOMINI.

AD LAUDES.

QUi sacris hodie sistitur aris,
Stat signum populis omnibus Infans,
Idem Judaicæ gloria Gentis,

L v

Et toti nova lux addita mundo.
Plausus insolitos audit uterque,
Miraturque parens: vota faventum
Votis excipiunt, & sua lætis
Gratantum ominibus gaudia miscent.
Afflatæ subito Numine mentes
Vix sese capiunt; spesque salutis,
Hac inclusa tenus corde sub imo,
Ipsis jam manibus prensa tenetur.
Quem videre procul mente Prophetæ,
Nunc te das oculis, Christe, fruendum:
Mox idem feries, ora resolvens,
Dictis attonitas grandibus aures.
Si nostris modò te sensibus aufers,
Horum firma fides suppleat usum;
Hâc te, Christe, manu tangere fas est:
In templis resides nunc quoque nostris.
Æterno sit honor lausque Parenti:
Qui placare paras victima Patrem,
Æqualis tibi sit gloria, Nate:
Amborum similis laus sit Amori.

IN FESTO SANCTI JOSEPHI.

QUos pompa secli, quos opes
Fulgore perstringunt suo,
Adeste: mundi prospera
Auctore magno spernite.
Josephus en Christi pater,
Davidis augustum genus,

Vili taberna conditus
Labore victum quæritat.
Quin ipſe, quin homo Deus,
Par natus æterno Patri,
Amat, fabrilis artifex,
Audire fabri filius.
Adæ nocentis innocens
Ultro gravem pœnam ſubit,
Docetque ſontes vindicem
Placare quâ poſſint Deum.
Tu rector & cuſtos domûs,
Joſephe, egenus omnium,
Adeſſe nobis omnia,
Si Chriſtus adſit, edoces.
Sit ſumma Patri gloria,
Natóque, pro nobis egens
Qui factus eſt de divite:
Par ſit tibi laus, Spiritus.

IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI,

Sive

PRO SS. APOSTOLIS Tempore Paſchali.

Dum morte victor obrutâ
Ab inferis Chriſtus redit,
Vos pangimus, diræ necis

Vitæque testes redditæ.
  Vobis datum præ cæteris
Latus magistri cingere :
Vobis futuræ sedulus
Arcana credit gloriæ.
  At ille privatim suæ
Dum nuntiat crucis probrum,
Cur horret humanus nimis,
Qui decipit sensûs, amor ?
  Oportuit Christum pati,
Qui postea resurgeret :
Illinc homo verus patet ;
Hinc se probat verè Deum.
  Illos, magister qui doces,
Tu, Christe, tu nos erudi :
Si quid latet, tu detege :
Amare da quod jam patet.
  Da, Christe, nos tecum mori,
Tecum simul da surgere :
Terrena da contemnere ;
Amare da cœlestia.
  Sit laus Patri, laus Filio,
Qui nos, triumphatâ nece,
Ad astra secum dux vocat :
Compar tibi laus, Spiritus.

PRædicta Christi mors adest ;
  At vos timori parcite :
Nil inde, nil caros pius
Remittet in fratres amor.

Durate, fortes : irritos
Mundi tumultus ſpernite :
Deo volente, turbini
Serena ſuccedet dies.

Cœli perenne gaudium
Solabitur luctus breves :
Brevem triumphum ſeculi
Æternus obruet dolor.

Qui, carne frater, in ſuo
Mortem peremit corpore,
Divinitatis vos ſuæ
Dignabitur conſortio.

Da, Chriſte, nos tecum mori,
Tecum ſimul da ſurgere :
Terrena da contemnere ;
Amare da cœleſtia.

Sit laus Patri, laus Filio,
Qui nos, triumphatâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat :
Compar tibi laus, Spiritus.

IN FESTO S. JOANNIS-BAPTISTÆ.

CHriſte, prolapſi reparator orbis,
Ut tuum caſto celebremus omnes
Ore Baptiſtam, maculas profani
Elue cordis.

Hunc paraturum Domino ſequentis

Semitam prisci cecinere vates :
Vatibus cunctis fuit ipse major,
Judice Christo.

Hic & inclusus genitricis alvo
Sentit exultans Dominum latentem ;
Jamque cœlesti trepidat venire
Obvius Agno.

Quid fide pendes dubiâ, Sacerdos ?
Muta torpebit tibi vox : at infans
Protinus nascens patriæ resolvet
Vincula linguæ.

Quin repromissam, subitus Propheta ;
Cernis humano generi salutem ;
Nuntias pacem, reserasque fatis
Grandibus ora.

Gaudet admirans populus stupetque.
Quis puer, clamant, erit iste, cujus
Se statim prodit manifesta tantis
Gloria signis ?

Laus sit æternæ sua Trinitati,
Quæ novam mundo paritura lucem,
Prævium Soli voluit Joannem
Surgere sidus. Amen.

EXiit cunis pretiosus infans,
Munus Excelsi : venit ut tenello
Corpori robur, nova ditat intùs
Gratia mentem.

Jamque conventus fugiens profanos,
Horridis blanda procul urbe lustris,

Militem Christo parat, innocentes
Sævus in artus.
Cinctus hirsuti spoliis cameli,
Arido vitam tolerare victu
Gaudet, insulsas medicans agresti
Melle locustas.
Scilicet, sacrâ stimulante flammâ,
Perfidam natus renovare gentem,
Ad patrum mentes revocabit olim
Corda nepotum.
Qui creat mundum sit honos Parenti:
Laus tibi compar, Reparator orbis:
Æquus amborum sit honos per omne
Tempus Amori. Amen.

NUnc suis tandem novus è latebris
Prodit Elias, populisque Christum
Clamat, exprobrans sua viperinæ
Crimina proli.
En Deus judex, Deus en propinquat
Ventilans fruges: superis recondet
Triticum cellis, paleasque diros
Tradet in ignes.
Hujus adventu rigidum superbi
Deprimant montes caput: erigantur
Vallium passim cava: corrigantur
Prava viarum.
Sancte præcursor, date præco lucis,
Excitet somno tua vox inertes;
Ut graves olim fugiamus Agni

Vindicis iras.
Summa laus Patri, genitóque Verbo:
Æquus amborum ſit honos Amori,
Qui ſacrum Chriſti pugilem potenter
Ungit & armat.

QUid moras nectis? Domino jubenti
Cede: qui ſacro lavat igne corda,
Hic tuis ardet manibus, Joannes,
Amne lavari.
Quis fuit ſenſus tibi, cùm videres
Supplicis ritu dare colla pronum,
Cui pedum ſummo reputes honori
Solvere lora?
Cernis ut, nimbo rutilante, Chriſto
Spiritus, Patris comitante voce,
Incubat, ſeſe Triadiſque tota
Pandit imago?
Diligens inſtas operi miniſter:
Victimam mundi ſcelus auferentem
Prædicas Agnum, digitóque fidus
Indice monſtras.
Immemor laudis propriæ, magiſtro
Debitos Chriſto properas Alumnos
Reddere: ardebas minui: decebat
Creſcere Chriſtum.
Nec fidem vitâ ſat erit probaſſe:
Vindicem læſi rigidum pudoris
Te manet carcer: Domino cruentâ
Morte præibis.

Lætus æternum celebret Parentem,
Orbis: æternum celebret Parentis
Filium: par sit tibi laus per omne,
Spiritus, ævum.

IN FESTO SS. PETRI ET PAULI.

QUos junxit unus, vita dum mansit, labor,
Quos una clarat morte palma martyres,
Ambo sacrati principes exercitûs,
Cœlo receptos una vos colit dies.
Vos, angularis cui subest Christus lapis,
Fundatis Ædem: mystico vos corpori,
Cui præsidere gaudet augustum Caput,
Fulgere clara jussit ambo lumina.
In te potestas clavium, Petre, eminet;
Te, Paule, flumen irrigat scientiæ:
Uterque Pastor, & magister, & parens,
Olimque mundo destinati judices.
Infirmitatem carnis experti tamen,
Nostis caducam fictilis testam luti;
Et consecuti gratiam, clientibus
Præstatis ultro quam piè poscunt opem.
Nunc ergo votis supplicum solemnibus
Adeste: lapsis impetrate gratiam;
Ut Christianis assequamur moribus
Quæ sancta mundo tradidistis dogmata.
Sit sempiterno sempiterna laus Patri:
Petro supernus quem revelavit Pater,

Æternæ Fili, laus tibi sit maxima:
Sit par supremo laus decusque Flamini.

ORbe nunc toto celebrentur ambo
Principes, Orbis decus atque lumen;
Mille qui Christo peperere verbi
Semine gentes.

Auctor incœpti Deus: ille terras
Incolens, primas tibi, Petre, defert;
Mox vocat Paulum, superas regressus
Victor ad arces.

Alter æterni Patris eruditur
Voce delapsâ: super astra raptus
Alter arcanæ sacra veritatis
Verba reportat.

Quanta sub vili latitat potestas
Corpore! infirmos tua sanat umbra,
Petre: letales tua, Paule, pellunt
Lintea morbos.

Mergitur ponto superante Petrus:
Naufragum Paulus fluitat per æquor:
Christe, ades, sævosque jubes utrique
Parcere fluctus.

Heu! fidem cernis titubare nostram;
Tu vacillantes rege, Christe, gressus:
Fac, Deus, tantos docili sequamur
Corde magistros.

VI.

Am nil Hebræis, Gentium plebs, invide,
Dignata eisdem, fausta plebs, honoribus:
vile summus Pastor expandit suum,
lovusque primo grex adunaris gregi.
Promissa Patrum, Christe, natus exequi;
le stirpe Jacob quæris amissas oves,
etrumque, primo quem locavisti gradu,
'anto labori sufficis vicarium.
Divina Gentes at simul clementia
.espectat: illis, Paule, Doctor mitteris:
ircana profers tu Dei mysteria:
'u Christianæ præco fulges gratiæ.
Utrimque fervet uberi fructu labor:
udæus, an sis barbarus, nil interest:
)iversa quamquam sors duobus obtigit,
'ar universi cura succendit gregis.
Sit sempiterno sempiterna laus Patri:
'etro supernus quem revelavit Pater,
Eterne Fili, laus tibi sit maxima:
iit par supremo laus decusque Flamini.

TAndem laborum, gloriosi Principes,
Fructum tenetis: fana passim corruunt:
Quin ipsa latè Roma victrix gentium
Se Christiano jam stupet subdi jugo.
Sævit Tyrannus; at triumphant victimæ:
Alter per ensem victor, alter per crucem
Cœlo coronam laureati possident,

Fusúsque sanguis Christianos seminat.
Superba sordent Cæsares cadavera,
Queis urbs litabat impii cultûs ferax:
Apostolorum gloriatur ossibus,
Fixamque adorat collibus suis crucem.
Nunc ô cruore purpurata nobili,
Novisque felix Roma conditoribus,
Horum trophæis aucta, quanto veriùs
Regina fulges orbe toto civitas!
Sit sempiterno sempiterna laus Patri:
Sit sempiternum Filio Patris decus:
Qui nectis ambos, æquus ambobus, tibi,
Divine, sit laus sempiterna, Spiritus.

In Vigilia Assumptionis B. M.

QUæ longa tandem, Virgo, post suspiria,
Te donat astris, reddit & Nato dies,
Hanc prævenire cantibus festis decet:
Nostras, benigna Mater, ausculta preces.
Te nempe nobis ut Joanni Filius
Matrem reliquit, è crucis pendens trabe:
Agnosce natos, Virgo, quos fratres sibi,
Deóque Christus comparavit filios.
Tu, Christiani flos decúsque nominis,
Adstas petenti Spiritum cœnaculo:
Apostolis mox verba seminantibus,
Tu caritate parturis Ecclesiam.
Quæ nos amore tam pio complecteris,
Nos gratulari da tuis honoribus.

am nos relinquis, Mater; at nostri memor
'e comprobabis sedulâ matrem prece.
Sit sempiterno sempiterna laus Patri:
it sempiternum Filio Patris decus:
)ui nectis ambos, æquus ambobus, tibi
)ivine, sit laus sempiterna, Spiritus.

QUod carne Christum, Virgo, paris;
vocant
Iinc te beatam: rectiùs occupas
Nomen beatæ, quæ fideli
Credideris, pia Virgo, corde.
Orbata Nato, non muliebriter
'loras ademptum. Scilicet altior
Tellure cœlestes, triumphans
Quò rediit, meditaris arces.
Amoris illuc te rapit impetus;
'ardi sed obstant vincula corporis,
Dolesque durum longioris
Exilii tolerare pondus.
Hæc vota tandem qui cumulas, Pater;
'uccurre nostris, auspice Filio:
Infunde sacrum, quo vigemus,
Pectoribus, Deus alme, Flamen.

In Decollatione S. Joannis Baptistæ.

QUis ille, sylvis è penetrabilibus
Egressus, ad se tot populos trahit?
Ab ore pendentes loquentis

Quâ subitò tenet arte turbas ?
An ille fastu regifico tumens
Molli solutus diffluit otio ?
Levis-ne arundo ventilatur
Arbitrio popularis auræ ?
Atqui ter annos jam tolerat decem
Vitam in profundis saltibus asperam,
Virtutis Eliæ futurus
Atque animi generosus heres.
Ergo severam Numinis omnibus
Ostentat iram, non timidus mori:
Assertor acer veritatis,
In proceres tonat inque plebem.
Aulâ receptum non retinet timor,
Non blanda flectit gratia Principis,
Contaminati quin reprendat
Flagitium opprobriumque lecti.
Sit summa Patri, summáque Filio,
Sanctóque compar gloria Flamini:
Sanctæ litemus Trinitati
Perpetuo piâ corda cultu.

IMpune Vati non erit: impotens
Totum furorem femina colligit;
Itaque causas aggerando
Exstimulat fera corda Regis.
Quid non libido cogis adultera!
Dantur catenis innocuæ manus:
At alligari veritatis
Nescia vox sua jura servat.

Christum vel atro carceris in specu
Præco fidelis nuntiat; & suos
Divina patranti Magistro
Discipulos jubet ire testes.
Vinctus triumphat; tu pavitans fremis,
Tyranne. Cæcum mens malè conscia
Quatit flagellum: stricta vatem
Impavidum feriet securis.
Sit summa Patri, summáque Filio,
Sanctóque compar gloria Flamini:
Sanctæ litemus Trinitati
Perpetuo pia corda cultu.

PRO SANCTO DIONYSIO,

IN I. VESPERIS.

JAm, Christe, nomen Gallica plebs tuum
Audivit; ingens pendet opus tamen:
Compello clemens universam
Sponte sequi tua signa gentem.
Sacer Pothini fumat adhuc cruor,
Mœretque vastas destitui suo
Cultore messes: mitte tanto,
Christe, pares operi ministros.
Audis. Verendi, dum loquimur, senes
Venere septem: dux Dionysius
Examen anteit; quáque præstet
Ire, legunt sibi quisque terras.
Sed quà nefandos comperit acrius

Fervere cultus, huc rapidus volat,
  Impressa carni præliorum,
    Clara ferens veterum trophæa.
  Hinc quanta posthac Christiadum seges
Exurget! Ergo Pastor, Apostolus
  Ames vocari Galliarum,
    Sancte senex, columenque regni.
  Qui nos ab alto nunc quoque parturis,
Fovere prolem perge tuam, Pater:
  Ut corde spirantem sub imo
    Exhibeat pia vita Christum.
  Laus summa Patri, summáque Filio;
Sanctóque compar laus tibi, Spiritus,
  Per quem rebelles veritati
    Subdere amant fera colla gentes.

HYMNI REFORMATI.

AD PRIMAM.

JAm lucis orto sidere,
Deum precemur supplices,
Nostras ut ipse dirigat
Lux increata, semitas.
  Nil lingua, nil peccet manus;
Nil mens inane cogitet:
In ore simplex veritas,
In corde regnet caritas.
  Incœpta dum fluet dies,
O Christe, custos pervigil,

Qui

Quas sævus hostis obsidet
Portas tuere sensuum.
Præsta diurnus ut tuæ
Subserviat laudi labor:
Auctore te quæ cœpimus,
Da, te favente, prosequi.
Superba ne nimis caro
Menti licenter imperet;
Carnis domet superbiam
Potûs cibíque parcitas.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc, & per omne seculum.

AD TERTIAM.

O Fons amoris, Spiritus,
O sancte donorum parens,
Tuas refusus intimis
Accende flammas cordibus.
Qui caritatis vinculo
Cum Patre nectis Filium,
Et nos amoris mutui
Arctis coapta nexibus.



AD SEXTAM.

NUnc solis excelsum jubar
Toto coruscat lumine :
Tu, Christe, tu mundum novâ
Sol verus accendis face.
Fac plena nostris fulgeat
Lux veritatis mentibus ;
Fac nostra plenam caritas
Crescendo surgat ad diem.

AD NONAM.

PRono volutus impetu
Inclinat in noctem dies ;
Sic vita supremam cito
Festinat ad metam gradu.
O Christe, dum fixus cruci
Expandis orbi brachia,
Amare da crucem ; tuo
Da nos in amplexu mori.

AD COMPLETORIUM
IN ADVENTU.

IN noctis umbra desides
Dum somnus artus occupat,
Ad te, Deus, fidelibus

ſens excubat ſuſpiriis.
Deſiderate gentibus,
Verbum Patris, mundi ſalus,
Audi preces gementium,
Tandemque lapſos excita.
Adſis, Redemptor, & tuæ
Plebis relaxans crimina,
Idæ ſcelus quas clauſerat,
Recludе cœleſtes domos.
Qui liberator advenis,
Fili, tibi laus maxima
Cum Patre, & almo Spiritu
In ſempiterna ſecula.

A VIGILIA
Natalis Domini ad Præſentationem.

MUndi ſalus qui naſceris,
Jeſu puer, nos reſpice:
Da moribus caſtis tuam
Referre nos infantiam.
Feſſos diurno dum levat
Labore nocturnus ſopor,
Defende, paſtor, beſtiis
Tuas ab infeſtis oves.
O virgo, quæ paris Deum,
Foveſque lactentem ſinu,
Hunc flecte nobis quâ vales,
Benigna mater, gratiâ.
Qui natus es de Virgine,

Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, & almo Spiritu
In sempiterna secula.

TEMPORE QUADRAGESIMÆ.

O Splendor æterni Patris,
Tu, Christe, qui verus dies,
Et vera lux de lumine,
Mentis fugas caliginem:
En solis abscessit jubar,
Noctisque succedunt vices:
Qui prosperum donas diem,
Da tuta noctis otia.
Si clausa torpent lumina,
Suspiret ad te mens vigil:
Potente, qui te diligunt,
Servos tuere dexterâ.
Tu quos molesti corporis
Gravis retardat sarcina,
Fac mentis alis libero
Sursum volatu tendere.
O spes salutis unica,
Votis adesto supplicum:
Defende quos mercatus es
Mercede fusi sanguinis.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc, & per omne seculum.

TEMPORE PASCALI.

JEsu redemptor seculi,
Qui tertio post funera
Redux ab inferis die,
Mortem resurgendo necas:
Nox atra jam terras premet,
Mergetque somno lumina:
Hostis furorem perfidi,
Artesque cæcas disjice.
Ut, justa dum curas levat,
Et corpus instaurat quies,
Sic membra somnus occupet
Ne corda torpor opprimat.
Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da surgere:
Terrena da contemnere;
Amare da cœlestia.
Sit laus Patri, laus Filio,
Qui nos, triumphatâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spiritus.

POST TRINITATEM.

GRates, peracto jam die,
Deus, tibi persolvimus;
Pronóque, dum nox incipit,

Prosternimus vultu preces.
Quod longa peccavit dies
Amarus expiet dolor ;
Somno gravatis ne nova
Infligat hostis vulnera.
Infestus usque circuit
Quærens leo quem devoret :
Umbrâ sub alarum tuos
Defende filios, Pater.
O quando lucescet tuus
Qui nescit occasum dies !
O quando sancta se dabit
Quæ nescit hostem patria !
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc, & per omne seculum.

IN OFFICIIS DE B. MARIA.

Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis,
In tua se clausit viscera, factus homo.
Hinc meritò dicent te secula cuncta beatam:
Hinc populi matrem te dominamque colunt.
Suscipe quos pia plebs tibi pendere certat honores :
Annue, sollicitâ quam prece poscit, opem.
Gloria magna Patri; compar sit gloria Nato;
Amborum tibi par, Spiritus alme, decus.

IN NATIVITATE DOMINI.

IN I. VESPERIS.

Missum Redemptorem polo
Novumque totus, quà patet,
Adoret orbis Principem
Natum Maria virgine.
Rerum Creator omnium
Servile corpus induit;
Ut carne carnem liberans,
Ne perderet quos condidit.
Quod ante mundi tempora
Verbum Patris prodit sinu,
Obnoxius nunc tempori
Mortalis infans nascitur.
Fœno cubare sustinet,
Præsepe non horret Deus,
Et indiget lactis cibo
Cibus perennis cœlitum.
Quæ cardines mundi rotant,
Manus ligantur fasciis:
Imbellis & plorans jacet,
Ut nos jacentes erigat.
Judex futurus seculi
Nunc blandus ad cunas vocat:
Amore tanto, mutui
Amoris exposcit vices.
Qui natus es de Virgine,

Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre & almo Spiritu
In sempiterna secula.

IN II. VESPERIS.

JEsu, redemptor omnium,
Summi Parentis unice,
Qui solus ante secula
Patri Deo par nasceris:
Tu nostra pax & gloria,
Spes una tu mortalium:
Intende quas tibi preces
De cordis arâ fundimus.
Qui corporis nostri volens
Nascendo formam suscipis,
Divinitatis nos simul
Das esse consortes tuæ.
Ad illud evectos decus
Tuere fratres; degener
Ne vita fontes pristinam
In vilitatem deprimat.
Hoc sancta te poscit dies,
Ortûs dies tui memori,
Quâ lucido surgens thoro
Sol verus orbem visitas.
Nunc ergo terra, nunc polus,
Vastíque tractus æquoris,
Qui te dedit, festis Patrem
Laudare certant canticis.

Et nos, perennis ô quibus,
Salutis auctor naſceris,
Fauſtum triumphali juvat
Ornare concentu diem.
Qui natus es de Virgine,
Jeſu, tibi ſit gloria
Cum Patre & almo Spiritu
In ſempiterna ſecula.

TEMPORE QUADRAGESIMÆ.

Ad Nocturnum Officium.

QUod lex adumbravit vetus;
Quod ipſe ſacravit novi
Chriſtus miniſter fœderis,
Decurrimus jejunium.
Utamur ergo parciùs
Verbis, cibis & potibus,
Somno, jocis; & arctiùs
Perſtemus in cuſtodiâ.
Intenta mens cupidinis
Frænet rebelles impetus;
Ne cordis arcem, janua
Quâ ſe dat, hoſtis occupet.
Omnes ad aram cernuo
Vultu precemur ſuplices:
Ploremus, atque vindicem
Flectamus iram Judicis.
Judex tremende, nos premit

Immensa moles criminum;
Immensa sed clemens pater
Parcendo vinces crimina.
  Nos, testa quamquam fictilis,
Opus tuum sumus tamen:
Perire ne plebem sinas
Christi redemptam sanguine.
  Quod fecimus sana malum;
Auge bonum quod possimus:
Da corde contrito, Deus,
Tuam mereri gratiam.
  Præsta, beata Trinitas,
Concede, simplex Unitas;
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera.

TEMPORE PASCHALI.

Ad Vesperas.

FOrti tegente brachio,
Evasimus rubrum mare,
Tandemque durum perfidi
Jugum tyranni fregimus.
  Nunc ergo lætas vindici
Grates rependamus Deo;
Agnique mensam candidis
Cingamus ornati stolis.
  Hujus sacrato corpore,
Amoris igne fervidi,

Vescamur atque sanguine :
Vescendo, vivimus Deo.
Jam Pascha nostrum Christus est :
Hic agnus, hæc est victima,
Cruore cujus illitos
Pertransit ultor Angelus.
O digna cœlo victima,
Mors ipsa per quam vincitur,
Per quam, refractis inferi
Prædam relaxant postibus !
Christus sepulcri faucibus
Emersus ad lucem redit ;
Hostem retrudit tartaro,
Cœlíque pandit intima.
Da, Christe, nos tecum mori ;
Tecum simul da surgere ;
Terrena da contemnere ;
Amare da cœlestia.
Sit laus Patri, laus Filio,
Qui nos, triumphatâ nece,
Ad astra secum dux vocat :
Compar tibi laus, Spiritus.

PRO SS. APOSTOLIS.

In I. Vesperis.

LÆtare, cœlum; plausibus
Tellus resultet æmulis ;
Apostolorum gloriam

Solemnis instaurat dies.
Vos, ceu tubis sonantibus,
Christum per orbem spargitis:
Vos illa sacris vatibus
Prædicta mundi lumina.
Qui, dante Christo, panditis,
Qui clauditis cœli fores;
Nos criminum tenacibus
Vinclis ligatos solvite.
Potente qui nutu graves
Morbos fugatis corporum,
Desideratam poscite
Ægris medelam moribus.
Sublimis ut cùm venerit,
Vobis simul sedentibus,
Ad dexterum judex latus
Nos inter agnos collocet.
Uni sit & trino Deo
Suprema laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocavit gloriæ.

PRO SS. MARTYRIBUS.

Christi Martyribus debita nos decet,
Virtutis memores, promere cantica;
Quos nec blanditiis, nec potuit minis
Fallax vincere seculum.
Cœlestis patriæ mens inhians bonis,
Mundi sprevit opes fluxaque gaudia;

Vitæ quin etiam, præ Domini lucro,
Jacturam facilem putant.
Non vultus metuunt carnificum truces :
Fœtas suppliciis despiciunt manus :
Enses, flagra, rotas; omnia perpeti
Victrix edocuit fides.
O incredibilem vim patientiæ !
Non, artus laceros qui cruciat dolor,
Extorquet gemitum; non querimoniam
Agnis mitibus elicit.
Ergo nunc propior, Christe, tibi sedet
Palmis turba nitens usque virentibus,
Victorumque gerens præmia, nobiles
Multo sanguine laureas.
Sit laus summa Patri, summáque Filio :
Sit par, sancte, tibi gloria, Spiritus,
Cujus præsidio prælia sustinent
Contemptâ nece Martyres.

ALII HYMNI EJUSDEM AUCTORIS.

SANCTO GERMANO. AUTISSIODORENSI EPISCOPO.

Secli jam satis est muneribus datum.
Te, Germane, suum te repetit Deus;
Et mutare sacro tela pedo jubet,

Cæsis ebria belluis.
Injectum capiti rejicies onus.
Frustra. Non alium plebs sibi flagitat
Rectorem; moriens non alium Pater
Orbo substituit gregi.
O morum subitas, non sine Numine,
Mirandasque vices! Pontifici novo
Fastus, deliciæ, nomen, opes, genus
Sordent: sit Deus omnia.
Somnos per gelidam carpit humum; levat
Atro pane famem; sedat aquâ sitim:
Et largâ miseris distribuit manu,
Quæ parcus sibi subtrahit.
Hoc pastore, tener grex ovium, trucis
Fraudes aut rabiem nil metuas lupi:
Te circum vigili providus excubat
Custos sollicitudine.
Illi cura subest unica, mentibus
Infusâ tenebras luce repellere;
Et queis ipse flagrat, subdere languidis
Vivas pectoribus faces.
Tu, qui sidereâ lucidus in domo,
Æterno propior Pontifici sedes,
Hunc, Germane, tuis fac ovibus piâ
Blandus concilies prece.
Sit laus summa Patri, summáque Filio:
Sit par alme tibi gloria, Spiritus,
Qui sacris habiles muneribus tuo
Ungis chrismate Præsules.

MItte pro caro solitas ovili,
Pontifex, curas; Deus ipse mandat:
Et laboranti fer opem Britanno
Protinus orbi.
Hîc venenoso furiale monstrum
Inficit latè loca cuncta flatu,
Dum triumphanti sua jura Christo
Præripit audax.
Te tamen paulùm Genovefa sistet;
Nec moræ deerit pretium: Puellam,
Numinis templum, venerandus Augur
Rite sacrabis.
Ut Lupo Præsul comitante tristes
Attigit terras, trepidus fugatur
Error: attrito caput hoste victrix
Gratia tollit.
Interim Picti, fera gens, opimis
Horridam stragem minitantur agris:
Ne tamen vano trepides tumultu,
Anglica tellus.
Ecce vitali madidam lavacro
Pontifex miles rapiens cohortem,
Barbarum festis subitò fugabit
Cantibus agmen.
O piæ robur fidei, vel ipso
Efficax montes agitare nutu!
His tuos gaudes decorare signis,
Christe, ministros.
Summa laus Patri, genitóque Verbo:

Æquus amborum sit honos Amori ;
Qui sacros Christi pugiles superno
Robore firmat.

SUbditis Reges dare jura terris
Gaudeant : Reges tua vox in ipsos,
Præsul, exercet graviora, Christo
Auspice, jura.

Italos, quò te sacer urget ardor,
Ut subis fines, tumidæ residunt
In rebellantes populos tremendi
Principis iræ.

Hîc novæ fragrans pietatis aura
Prodit invitum ; stupet Imperatrix,
Et tuis subdit genibus superbam
Cernua frontem.

Surda quin parent elementa verbo.
Ut jubes, ponto silet unda : centum
Rupta miratur cecidisse ferri
Robora carcer.

Ut jubes, morbi fugiunt nocentes :
Lux redit cæco sua, voxque muto ;
Ipsa mors haustam revomit rapaci
Gutture prædam.

Mox diem doctus properare summum,
Frigidos mœsto cineres ovili,
Quod potes, legas, patriisque liber
Redderis astris.

Heu ! tuam vexant mala mille gentem ;
Tu salutari mala pelle curâ ;

Fac & illustret rediviva cæcas
Gratiæ mentes.
Lætus æternum celebret Parentem
Orbis : æternum celebret Parentis
Filium : par sit tibi cultus omni,
Spiritus, ævo.

Offerebat Paroctæ Buzanceæ CAROLUS COEFIN *in eâdem Parœciâ natus.*

Hoc ego chara pium dono tibi, Patria, carmen:
Vati grata preces, Patria, redde tuo.

IN FESTO

DEI MISERICORDIARUM PATRIS,

Apud Remense Nosocomium instituto.

GEntis humanæ Dominum Patremque,
Astra qui nutu regit, & benignâ
Spargit in terras bona cuncta dextrâ,
Rite canamus.
Hic tegit blandis inopes sub alis:
Hic fovet dulces miserans alumnos:
Hic amat mœstis recreare corda
Saucia curis.
Quid fide pendes timidâ, vacillans
Usque mortalis? tibi lucis almæ
Grande qui munus dedit, ille vilem

Non dabit escam ?

Ne brevis vitæ trepides in usus,
Excubat pro te vigil. Hæc opimis
Certior campis seges, ac reposto
Certior auro.

Filium mater, teneros amores,
Deserat ? prolem tamen antè mater
Deseret, quàm nos pia sempiterni
Cura Parentis.

Laus sit æternæ sua Trinitati,
Quæ laborantem miserata mundum,
Paupe[illegible] lapsos homines redemit
Sanguine Christi.

VOs, quibus gazas Deus affluentes
Credidit, fundos inopum ; paternæ
Quos sibi curæ voluit fideles
Esse ministros :

Vos, fides si quid pietasque tangit,
Regis exemplum stimulet superni :
Dura mitescant liquefacta tantis
Pectora flammis.

Ite, secretas penetrate furtim
Pauperum sedes, ubi lacrymosus
Squal[illegible], & tristis, metuens videri,
Horret Egestas.

Hîc fame sævâ cruciatur ægro
Pallidus luctu maciéque Christus :
Hunc inhumani feritas necabit
Barbara fratris ?

Nube mox idem radiante celsus,
Cùm vices judex meritas rependet;
Quanta pro parvis memor aggerabit
Præmia donis!

Vestibus, tecto, dapibus carebam:
Hospitem, nudum, miserum levastis:
Ampla nunc mecum patrii subite
Atria regni.

Offerebat publicæ eleemosynarum Societati, in partem pii operis, quâ potest, accedens CAROLUS COFFIN, *Clericus Remensis.*

SANCTO SYMPHORIANO,

MARTYRI,

Ecclesiæ Collegiatæ apud Remos Patrono.

DUm pugnas Juvenis concinimus graves;
Sacro qui tenerum robore militem
Munisti, faciles, summe Deus, piis
Aures cantibus applica.

Hunc non divitiæ, non generis decus
Inflarunt: aliæ pauperis æmulum
Christi discipulum sollicitant opes:
Major nobilitas movet.

Vos, pestes variæ, prima quibus solet
Ætas, heu nimiùm lubrica, decipi,
Puri munditiam cordis adultero
Non afflastis anhelitu.

Altè quos animo combiberat puer
Sensus, usque pii propositi tenax
Servat; nil poterit solvere quam semel
Obstrinxit Domino fidem.
Ritus impia plebs sacrilegos colat:
Surdæ thura cremet suppliciter Deæ:
Plebis flet miseræ stultitiam, Deos
Detestatur inutiles.
Sit laus summa Patri, summáque Filio:
Sit par alme tibi gloria, Spiritus,
Quo donante, sacræ legis amabili
Assuescunt pueri jugo.

INsitæ fervens pietatis ardor
In dies crescit Juveni, novosque
Exerit sacris semel hausta limphis
Gratia fructus.
Andochi fidus comes & Benigni,
Quâ potest, sanctos juvat arte patres;
Et suos Christo simul allaborat
Subdere cives.
Interim sævi rabies tyranni
Impotens frendet, duplicisque leto
Victimæ læsos reparare Divûm
Tentat honores.
Quid furor prodest? cinis ipse clamat.
Incubans patrum tumulis alumnus
Inde depromit generosioris
Semina flammæ.
Ergo cœlesti velut ictus œstro,

Dum triumphali ſimulacra curru
Prodeunt, ſpernit ſimulacra, pompas
Ridet inanes.
Summa laus Patri, genitóque Verbo;
Æquus amborum ſit honos Amori,
Qui ſimul ſpirat, pia corda ſacris
Ignibus ardent.

EXcandeſcit atrox in Juvenem furor:
Cædunt verberibus, carceris in ſpecum
Atri conjiciunt: verbera ſed novos
Addunt vinculáque ſpiritus.
Vultus Impietas exuit aſperos:
Spondet Prætor opes, munera, gratiam:
Sed quem non potuit frangere vis, neque
Molles blanditiæ movent.
Cœli qui dominans arce ſedet, Deum,
Exclamat, veneror; quamque jubes coli,
Te coram validis fracta, ſinas modò,
Occumbet Dea malleis.
Sit laus ſumma Patri, ſummáque Filio;
Sit pár alme tibi gloria, Spiritus,
Quo dónante ſacræ legis amabili
Aſſueſcunt pueri jugo.

TAndem per mediam victima nobilis
Turbam protrahitur. Non timido gradu
Optatum properat magnanimus puer
Diri funeris ad locum.

Adverso Genitrix instat ab aggere,
Hortaturque mori : Nate, Dei minas
Formidare memor, sperne furentium
Iras carnificum breves.

Sublimes oculos erige : quæ tibi
Astris parta manent suspice præmia :
Istis Christiadam mille pati decet
Mortes conditionibus.

O Nato nimiùm digna suo Parens !
O fortes mulier quæ superat viros !
Quem terris peperit, parturiens polo
Ut matrem bene se probat !

At tu purpureâ candidus in stolâ
Christo qui propior, sancte Puer, nites,
Illum flecte tuis, quos scelerum gravat
Moles tarda, clientibus.

Sit laus summa Patri, summáque Filio :
Sit par alme tibi gloria, Spiritus,
Quo donante, sacræ legis amabili
Assuescunt pueri jugo.

SANCTO BALDERICO

ECCLESIÆ COLLEGIATÆ

Apud Montem Falconis, in agro Remensi, Patrono.

ASTRA dum plaudunt tibi, BALDERICE,
Nos decet voces geminare festas,
Et tuæ quondam juga personante

Conscia laudis.
Splendidos calcas apices honorum
gius sanguis; crucis & verendæ
decus sceptris opibusque, mundi
Transfuga, præfers.
O dies ipsi pretiosa Cœlo,
m manus sacris animumque Princeps
voves aris, meliora Christi
Signa secutus!
Jam domos ultro patrias honestæ
rgines centum duce te relinquunt;
que cœlesti pia turba gestit
Nubere Sponso.
Arte fraternâ tenerum fidelis
icit examen Soror, & potentis
get exempli stimulo severos
Carpere calles.
Nostra vox summum celebret Parentem:
lium Patri celebret coævum:
quus amborum sit honos per omne
Tempus Amori.

NAm quid obscuros fugis in recessus?
Fama te prodet tua, BALDERICE;
am stupent tantam loca sola fratrum
Surgere messem.
His graves virius animosa pugnas
onserit castris: ibi mille tecum
Milites junctis rapiunt supernas
Viribus arces.

Sat datum terræ : tibi jam solutis
Fas polo tandem revolare vinclis,
Grandium merces ubi te beabit
Ampla laborum.
Hinc tamen, Montis tibi si qua noti
Cura, divinum bonus in clientes
Evoca rorem; sterilesque læto
Indue fructu.
Nostra vox summum celebret Parentem;
Filium Patri celebret coævum :
Æquus amborum sit honos per omne
Tempus Amori.

HYMNI
SUPER PATRATO
IN NOVA HÆMORRHOISSA
MIRACULO.

JEsu, quem modici panis imagine
Velatum colimus, verè hominem Deum;
Proh! quàm magnificis perpetuam patrum
Firmas prodigiis fidem!
Frenos Impietas non docilis pati,
Nos jactare fremat Numen inutile :
Numen non dubium quàm bene te probas,
Rupto, CHRISTE, silentio!
Dudum profluvio femina sanguinis
Languebat, miserâ præmoriens lue :

Jam

Jam nec vis oculis ulla, nec aridis
Restabat genibus vigor.
Artes nil medicæ proficiunt: malum
Crudescit. *Sed enim figere si datur*
Cælestis Medici passibus oscula,
Est, est certa salus, ait.
Nec spe firma fides decipitur suâ.
Dum Christus celebri fertur ovans die;
Adrepit mulier: *Tu mihi nunc potes*
Tabem sistere luridam:
Te, qui vivus ades, te veneror Deum:
Da noxis veniam. Nec mora: desides
Vis arcana pedes erigit, & novus
Membris insinuat calor.
Sic nempe illa pari saucia vulnere,
Ut furtim tremulâ, ponè sequens, manu
Vitalem potuit tangere fimbriam,
Est experta Deum statim.
Heu! nos fœda magis mille premunt mala:
Tu desiderium da Medici: Fides
Nos sanare potest vivida: tu fidem,
JESU, cordibus insere.
Sit laus summa Patri, summáque Filio,
Qui vel nube latens non penetrabili,
Victricem populis promit adhuc manum;
Sacro laus quoque Flamini.

STupente spectantum choro,
Vix ipsa sat compos sui,
CHRISTI triumpho fit comes,

CHRISTI triumphus femina.
Non ille, non adhuc tamen
Stetit repercussus fluor:
Sed ipsa doni gratiam
Injecta commendat mora.
Adaucta successu fides,
Faustóque læta pignore,
Secura voti, præcipit
Plenæ salutis gaudium.
Tunc irretorta Corpori
Figens verendo lumina,
Sanabor, exclamat, *tuæ*
Si limen attingam domûs.
O incruentæ non satis
Miranda virtus Hostiæ!
Sacras reformidans fores,
Repente morbus aufugit.
Sic nostra, CHRISTE, sic velis
Purgare labe pectora:
Castos tremendum sic doce
Intrare sanctuarium.
Perenne sit Patri decus;
Decus perenne Filio:
Qui cordium sordes lavas,
Par sit tibi laus, Spiritus.

NUnc, ô Sionis quotquot amor tenet;
Quotquot superni tangit honos Patris,
CHRISTI triumphantis recentes
Tempus erat celebrare palmas.
Fœcunda quondam prodigiis manus;

ꝛssare lapsu nescia temporum,
Antiqua nunc gestit salubri
Consilio renovare signa.
Sic ille Sponsam, sanguine quam suo
uæsivit emptor, lætificat bonus:
Sic ille nutu sternit ipso
Attonitos metuendus hostes.
Invitat imò blandus, & allicit.
ꝛs, ô! rebellis quos malè devios
Abduxit error, sub priores
Grex remea miserande caulas.
Nam quid moratur? Grandia Civitas
ꝛrtenta testis prædicat: hæc quoque
Spectastis ipsi. Cur negare
Nec licet, & pudor est fateri?
Nunc ergo, Pastor quò vocat, ociùs
tuta læti pergite pascua.
Ah! fulgurantes Veritatis
Ne radios oculi repellant.
Quin ipse tandem, CHRISTE, potentibus
te volentes illecebris trahe:
Absolve clemens inchoatum
Prodigio potiore munus.
At nos, avitæ queis fidei datum
erere, felix sorte genus suâ,
Accendat in JESUM latentem
Relligio pietasque major.
Sit summa Patri, summáque Filio,
sancte compar laus tibi, Spiritus,
Quo dura mitescunt, novasque
Concipiunt pia corda flammas.

SANCTÆ AGNETI

AD I VESPERAS.

HUmana quid non pectora, si faves,
O Christe, possunt? auspice te, truces
Imbellis iras, atque dulces
Illecebras superat puella.
Infirma mundi scilicet eligis,
Ut conterantur fortia: nobilis
Hinc venit Agneti cruentas
Mille neces domitura virtus.
Formæ decorem, pulchrior aspici,
Vincebat oris virgineus pudor;
Primisque pectus quæ tenellum
Imbuerat pietas ab annis.
Contenta sponso, quem sibi destinat,
Placere Christo, se latebris tegit;
Timetque mortales caduca
Ne species oculos moretur.
Prodit latentem fama tamen: proci
Arsere plures: multa sibi nurum
Optavit, & flagrante mater
Quæsiit ambitiosa voto.
Ast illa, sancti propositi tenax,
Preces amantum respuit; & tibi
Se, Christe, totam perstat uni
Perpetuo sociare pacto.
Laus summa Patri; summaque Filio;

Sit Sancte compar laus tibi, Spiritus,
Quo flante puras caritatis
Concipiunt pia corda flammas.

AD NOCTURNUM OFFICIUM.

Non stat firma satis tutáque virtus,
Quæ non est variis acta procellis.
Dum sævi quatitur turbine venti,
Hinc discit tumidos vincere fluctus.
Infanti teneræ forma fidesque
Diversi generis suscitat hostes:
Tentat blanditiis ardor amantum;
Terret suppliciis ira Tyranni.
Hostem fortis amor vincet utrumque,
Alter spondet opes, spondet honores:
Sponsi sed placuit cui decor Agni,
Huic terrena placet nulla voluptas.
Alter sacrilegas trudit ad aras,
Intentatque minas, verbera, mortem:
Sed tormenta tibi quot nova promit,
Tot nectit capiti, Virgo, coronas.
Deerat supplicium majus: honori
(Quid non impietas iraque suádent?)
Probrum virgineo turpe paratur,
Quod toto redimat sanguine virgo.
Eheu! quid faceret? lumina cœlo
Attollitque manus: flammea victrix
Frangit tela fides; séque libido
Calcatam propriâ frendet in arce.

Sit laus ingenito summa Parenti :
Sit par unigenæ gloria Nato :
Quo sexus fragilis dante triumphat,
Amborum similis laus sit Amori.

SANCTO GENGULFO,

Regiæ apud Tullum Collegiatæ Patrono.

DUm, Gengulfe, tibi sacra redit dies,
Festos relligio solvere nos jubet
Cantus, & memoris promere, quâ licet,
Sensus pectoris intimos.
Antiquâ generis clarus origine,
Clarus divitiis, non tumidis tamen
Exultas animis : nil tibi stemmata,
Fluxæ nil sapiunt opes.
Te sincera fides, vivida te magis
Allectat pietas : hanc puer in sacris
Non cessas avidus discere paginis,
Hanc multâ prece flagitas.
Duratura diu sic solidæ domûs
Fundamenta jacis, quam neque fluminum
Sternat diluvies, nec fera dissipet
Ventorum violentia.
O qui simplicium candor amabilis
Morum ! Quàm metuens vel minimæ pudor
Labis ! Quantus amor, curáque pauperum !
Quàm corpus dapis abstinens !
Sit laus summa Patri, summáque Filio :

Sit par alme tibi laus quoque, Spiritus,
Quo donante piis cordibus emicat
Virtutum ſeges omnium.

BEllis implicitus fortia militis
Imples aſſiduus munia, militum
Immunis vitiis: vivere ſtat Deo,
Ut ſtat pro patriâ mori.
Felix, ni propriis in penetralibus
Hoſtis bella novus ſuſcitet! Heu! tibi
Conjux ipſa graves mille moleſtias
Mille indigna parat probra.
Quin & , ſacra tori non violabilis
Spernens jura, ſtuprat flagitiis domum;
Infandiſque viri perdita non ſui
Ultro ſervit amoribus.
Virtus hinc ſed enim ſe tua clariùs
Prodit, preſſa malis pulchrior enitet:
Sic invicta vices per varias amat
Tentari patientia.
Solis urbe procul tunc latitans locis,
Chriſto mente vacas: prodigus hinc opes
Geſtis in miſeros ſpargere, membráque
Longo ſupplicio domas.
Sit laus ſumma Patri, ſummáque Filio:
Sit par alme tibi gloria, Spiritus,
Qui te, deliciis dulcior omnibus,
Ægris mentibus inſeris.

QUid non ira ferox cogit ? adulteris
Instinctus facibus te furor occupat
Incautum gladio : sic cadis innocens
Sponsæ victima perfidæ.
At crudele tibi quid nocuit scelus ?
Vitæ damna brevis vita beatior
Pensat, tutus ubi Numinis intimo
Haustu pectus inebrias.
Astris quin etiam dum pia mens ovat ;
Casti relliquias corporis, aridos
Artus, ultor amat prodigiis Deus
Commendare potentibus.
Fac nos, Christe, sequi quem colimus du-cem :
Fortem præsta animum rebus in asperis :
Da, cœli memores, lubrica temnere
Blandi gaudia seculi.

MARIÆ VIRGINI
Christum lactanti.

HYMNUS I.

STupete, cœlestes chori :
Qui cuncta pascit ac fovet,
Cibus perennis Cœlitum,
Nunc lactis indiget cibo.
Verbum Patris factum caro,

Mortalis in matris ſinu
Labris Puer tenellulis
Materna ſugit ubera.
  Adblandiens Mater ſinu
Fovet viciſſim Filium :
Auctori & ſeſe ſilens
Miratur altricem ſui.
  O Virgo, fac tuâ prece
Nobis tuus ſit Filius
Lac dulce, ſi parvi ſumus ;
Fortiſque, ſi grandes, cibus.
  Qui natus es &c.

HYMNUS 2.

CAſtæ parentis ubera,
  O Chriſte, quid gaudens premis ?
Divinitatis hoſpitam
Quid lacte carnem recreas ?
  Agnoſco, Jeſu, quid velis ;
Summo Parenti ſcilicet
Pleno vigentem robore
Ardes parare victimam.
  Venas remixtum per ſacras
Mox ſanguis iſtud lac erit,
Fuſuſque per plagas cruor
Orbis piabit crimina.
  O Virgo, quæ tuis, Deum
Foves in ulnis Filium,
Hunc nos ſub imis n[illegible]quoque
Geſtare dona cordib[illegible]

Fac, ſanguis ille purior
De lacte concretus tuo,
Certæ tuis clientibus
Sit fons ſalutis efficax.
Qui natus es &c.

S. BARTHOLOMÆO.

Hymnus.

Totum per orbem, Chriſte, jubes crucis
Regnare lignum: protinus exteras,
Secura regnantûm furoris,
Turba petit duodena terras.
Quà ſol renaſcens ignibus ultimos
Exurit Indos, regna duci prius
Subacta Græco, lætiore
Bartholomus ſubigit triumpho.
Proh! quantus illic ſe labor objicit!
Spinis quot horret terra rigentibus!
Quot monſtra debellanda! diram
Bartholomus ſuperabit hydram.
Verbi potentis fulmine Numinum
Evertit aras, pectora ſubruit:
Jugóque Chriſti barbarorum,
Flante Deo, fera corda ſubdit.
Perire frendet tot populos ſibi
Infernus hoſtis: jam parat impotens
Præcone ſublato fluentis
Imperii reparare damna.

Vincit cadendo Paſtor Apoſtolus,
Cruore fundans quam docuit fidem;
Orbóque legans Chriſtianæ
Sancta gregi monumenta Legis.
Tu nos ab alto, nos tibi deditos,
Verende Paſtor, reſpice; Numinis
Deſideratum caro ovili
Accelera precibus favorem.
Laus ſumma Patri, ſummáque Filio:
Sit par ſupremo Spiritui decus,
Apoſtolorum qui replevit
Æthereis pia corda flammis.

In Præſentatione B. Mariæ Virginis.

O Sancte ſanctorum Deus,
Quàm pura ſeſe devovet
Ignota priſco fœderi
Tuas ad aras hoſtia!
Afflata ſancto Spiritu
Maria Virgo, cœlibis
Amore vitæ, perpeti
Se caſtitati conſecrat.
Prolis coæternæ Patri
Futura mater, Cœlitum
Parare Regi, neſciens,
Feſtinat aulam pectoris.
Hinc quanta poſthac Virginum
Floreſcet in terris ſeges!
Laus quanta deſpectæ prius

Adjecta continentiæ!
Natæ Maria Virgines,
Ambite maternum decus:
Vos illa post se Filii
Adducet ad regis thronum.
Præsta, beata Trinitas,
Dono potentis gratiæ
Nulla infideles ut sacris
Nos arguat votis dies.

SANCTÆ BATHILDI,

Domûs Calea Fundatrici.

HYMNUS I.

CONCORDES animæ, fœdere quas pius
Agno sponsat amor non violabili,
Regalis memori dicite cantico
Matrem munificam domûs.
Bathildis domini jussa capessere,
Infandum! soboles regia, cogitur.
At, qui servus uti de patrio sinu
Descendit, meminit Deum.
Ergo mancipium nobile, splendidos
Dediscit titulos; sponte crucis probra
Amplectens, sequitur difficilem viam
Christi pauperis æmula.
Mox desideriis icta fidelibus
Morbo pressa gravi, se litat hostiam;

Et mutat ſuperas exilio domos
Ruptis libera nexibus.

HYMNUS 2.

CUras imperii juſta neceſſitas
Bathildi impoſuit : nunc ſtrepitu procul
Amplecti pietas ſollicitat ſacra
Quæ dudum cupit otia.
Et jam depoſitis læta negotiis,
Uniuſque memor Numinis & ſui,
Vitæ relliquias innocuæ piis
Caſæ condit in ædibus.
Inter, Chriſte, tuas infima Virgines
Fallit, ſéque volens ſubjicit omnibus,
Sanctæ ſplendidior militiæ ſequi
Leges, quàm dare Galliæ.

HYMNUS 3.

NUnc tandem lacrymis pone modum tuis,
Suſpirata tibi jam properat dies,
Cùm mutare licebit
Æternâ exilium domo.
Conflictata diu mille laboribus,
Servaſti Domino ritè datam fidem ;
Incorrupta corona
Poſt certamina te manet,

Sed te diræ prius, participem crucis,
Graſſans viſceribus conficiet lues :
Sic fies patienti
Chriſto gratior hoſtia.
O noſtræ decus & præſidium domûs,
Hanc ut nulla dies degenerem arguat,
Nos Agno, pia Mater,
Offer ſollicitâ prece.
A quo cuncta fluunt, maxima laus Patri,
Qui mundum reparat maxima Filio,
Et quo pectora flagrant
Sit laus maxima Flamini.

FINIS.

APPROBATIO.

JUſſu illuſtriſſimi Galliarum Cancellarii legi M. CAROLI COFFIN, *antiqui Univerſitatis Pariſienſis Rectoris* opera varia, quorum quidem pars jam in lucem edita viris litteratis grata jucundáque arridet, alteram quoque pariter eſſe profuturam exiſtimo. Pariſiis die 10. Maii 1754. P. GERMAIN.

PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre: A nos amés & féaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maître des Requêtes ordinaire de notre Hôtel, Grand-Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres, nos Justiciers qu'il appartiendra; SALUT, notre amé le Sieur THOMAS HERISSANT, *Libraire ancien Adjoint*, Nous a fait exposer qu'il désireroit faire imprimer & donner au public un Ouvrage qui a pour titre: CAROLI COFFIN, *antiqui Universitatis Parisiensis Rectoris Opera Varia.* S'il nous plaisoit lui accorder nos Lettres de Privilege pour ce nécessaire: A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'exposant, Nous lui avons permis & permettons par ces Présentes, de faire imprimer ledit Ouvrage autant de fois que bon lui semblera, & de le faire vendre & débiter partout notre Royaume, *pendant le tems de six années consécutives*, à compter du jour de la datte des présentes; Faisons défenses à tous Imprimeurs, Libraires & autres personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance, comme aussi d'imprimer ou faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire ledit Ouvrage, ni d'en faire aucuns extraits, sous quelque prétexte que ce puisse être, sans la permission expresse & par écrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiscation des exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Exposant ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & interêts; A la charge que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la datte d'icelles; que l'impression dudit Ouvrage sera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & beaux ca-

racteres, conformément à la feuille imprimée attachée pour modele sous le contrescel des Présentes, que l'impétrant se conformera en tout aux réglemens de la Librairie, & notamment à celui du 10. Avril 1725, qu'avant de les exposer en vente, les manuscrits qui auront servi de copie à l'impression dudit Ouvrage, seront remis dans le même état où l'approbation y aura été donnée ès mains de notre très-cher & feal Chevalier Chancelier de France le Sieur de Lamoignon, & qu'il en sera ensuite remis deux exemplaires dans notre Bibliothéque publique; un dans celle de notre Château du Louvre, un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier, Chancelier de France le Sieur de Lamoignon, & un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier, Garde des Sceaux de France le Sieur De Machault, Commandeur de nos Ordres. Le tout à peine de nullité des présentes: Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit Exposant & ses ayans causes pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement; voulons que la copie des Présentes qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Ouvrage, soit tenue pour duement signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & féaux Conseillers Sécretaires, foi soit ajoutée comme à l'original; commandons au premier notre Huissier, ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles tous actes requis & nécessaires, sans demander autre permission, & nonobstant clameur de Haro, charte Normande & Lettres à ce contraires. CAR tel est notre plaisir. DONNE' à Versailles le douzieme jour du mois de Juin, l'an de grace mil sept cent cinquante-quatre, Et de notre Regne le trente-neuvieme. Par le Roi en son Conseil.

PERRIN.

Regîstré sur le regîstre treize de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N. 371. *fol.* 294. *conformément aux anciens Reglemens confirmés par celui du* 28. *Février* 1723. *A Paris*, *le* 3. *Juillet* 1754.

DIDOT, Syndic.





